DE VILLIS TIBURTINIS PRINCIPE AUGUSTO

THESIM

PROPONEBAT

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

AD GRADUM DOCTORIS PROMOVENDUS

Maurice ALBERT

OLIM SCHOLÆ NORMALIS ALUMNUS, ET GALLICÆ, QUÆ ROMÆ EST, SCHOLÆ SOCIUS.

« Tibur argeo positum colono
Sit meæ sedes utinam senectæ ! »
(HORAT., *Carm.*, II, 6.)

PARISIIS

APUD ERNEST THORIN EDITOREM

7, VIA DICTA DE MEDICIS, 7

MDCCCLXXXIII

DE

VILLIS TIBURTINIS

PRINCIPE AUGUSTO

TOLOSÆ. — EX TYPIS A. CHAUVIN ET FILS, VIA DICTA DES SALENQUES, 28.

DE

VILLIS TIBURTINIS

PRINCIPE AUGUSTO

THESIM

PROPONEBAT

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

AD GRADUM DOCTORIS PROMOVENDUS

Maurice ALBERT

OLIM SCOLÆ NORMALIS ALUMNUS, ET GALLICÆ, QUÆ ROMÆ EST, SCHOLÆ SOCIUS.

« Tibur argeo positum colono
Sit meæ sedes utinam senectæ ! »
(HORAT., *Carm.*, II, 6.)

PARISIIS

APUD ERNEST THORIN EDITOREM

7, VIA DICTA DE MEDICIS, 7

MDCCCLXXXIII

MEMORIÆ

PATRIS DESIDERATISSIMI

INDEX

Auctorum et Librorum qui mihi ad suscipiendum opusculum profuerunt.

STEPHANO CABRAL E FAUSTO DEL RE : *Delle ville e de' piu notabili monumenti antichi della città e del territorio di Tivoli.* — Roma, 1779, 1 vol.

SANTE VIOLA : *Storia di Tivoli.* — Roma, 1819, 3 vol.

STANISLAS VIOLA : *Tivoli nel decennio dalla deviazione del fiume Aniene nel traforo del monte Catillo.* — Roma, 1848, 1 vol.

G. R. VOLPI : *Vetus Latium.* — Padova et Roma, 1729-1736. T. X et XI.

DOMENICO DE SANCTIS : *Dissertazioni sopra : 1° la villa d'Orazio Flacco ; 2° il Mausoleo de' Plauzi in Tivoli.* — Ravenna, 1784, 1 vol.

CAPMARTIN DE CHAUPY : *Découverte de la maison de campagne d'Horace.* — Rome, 1767, 3 vol.

WALCKENAER : *Histoire de la vie et des poésies d'Horace.* — Paris, 1840, 2 vol.

PROŒMIUM

Tiburis historiam a primordio urbis usque ad extrema imperii romani tempora perscribere, rem magni operis esse adfirmaverim. Quod quidem negotium, si susciperetur, in tres partes, multum inter se dissimiles, optime dividi posset. Primum enim de ætate heroica poeticisque potius fabulis quam de rebus incorrupto monumentorum testimonio traditis disserendum foret : quæ urbis illius longo ante Romam et eodem quo Troja tempore natæ origo, qui dii, qui conditores fuerint; unde Tiburtus Catillusque et Coras, Tiburis parentes habiti (1), venerint; quæ deinde historicis temporibus prœlia Tiburtes, jam Latinorum potentissimi, et cum finitimis gentibus

(1) Virgil., *Æneid.*, VII, 670-673 :

> Tum gemini fratres Tiburtia mœnia linquunt,
> Fratris Tiburti dictam cognomine gentem,
> Catillusque acerque Coras, Argiva juventus.

« Hi tres unam simul fecere civitatem, et eam a fratris majoris Tiburti nomine Tibur appellaverunt. » (Servius.)

Gallisque fœdere juncti, adversus Romanos commiserint ; quas leges, quæ instituta semel debellati et ex hostibus fœderati, anno ante C. N. CCCXXXVIII, facti habuerint, enarrare multum interesset. Postremo, villas innumerabiles quas ab ultimis rei publicæ annis usque ad Hadriani ætatem amœnissimæ illius regionis amatores ædificare et habitare consueverint, et quarum vestigia Tiburtinum agrum peragranti obvia adhuc pæne ubique sese offerunt, quærere et recensere ad rem valde pertineret.

Hanc vero materiem amplissimam, et ad scribendum mire destinatam, non mihi in animo est aggredi et explicare. Sed cum *Tibur superbum*, ut ait Virgilius, scilicet civitas illa Romanæ potestati heroicis historicisque temporibus infensa, minus placeat quam *Tibur vacuum* ab Horatio celebratum et ab iis nunc etiam dilectum qui nunquam videre, sed a poetis descriptum animo tantum concepere, de brevissima hujus historiæ particula disputare et illud tantummodo Tibur depingere instituam, quod Augustus et Mæcenas, magnique ejusdem ætatis viri frequentaverunt illustraveruntque. Cujus temporis si villas Tiburtinas reperire et describere, iisdemque dominos et, ut ita dicam, vitam restituere potuerim, ad propositi finem lectores me perduxisse confidam.

DE

VILLIS TIBURTINIS

PRINCIPE AUGUSTO

CAPUT PRIMUM.

RERUM TIBURTINARUM A LATINORUM CONJURATIONIS DISSOLUTIONE USQUE AD AUGUSTI PRINCIPATUM BREVISSIMUM EPITOME.

Tiburtibus Pedanisque et Prænestinis ad Pedum, Laviniis, Veliternisque et Antiatibus Volscis ad Asturæ flumen, anno ante C. N. CCCXXXVIII, fusis, Latium omne subactum erat. Præsidiis per recepta oppida dispositis, consules C. Mænius et L. Furius Camillus Romam discessere, ubi iis et triumphus decretus est, et statuæ equestres, rarus ea ætate honos, in foro collocatæ sunt. Sed reliqua consultatio erat quonam modo Romani devictos populos perpetua pace quietos obtinerent. Re ad senatum relata, placuit cum singulis nominatim civitatibus agere, et de unaquaque

pro merito decernere. Itaque, dum Veliternorum muri detrahebantur, dum Antiati populo, navibus incensis aut in Urbis navalia subductis, mari interdicebatur, dum denique Lanuvini Pedanique et Tusculani civitatem accipiebant, Tiburtes, crudelius habiti non ob recens tantum rebellionis crimen, sed quod cum Gallis olim arma consociassent, agro mulctabantur (1).

Haud ita multo post, — sed tempus exacte finiri non potest, — Tibur *fœderatis civitatibus* ascribebatur. Ei et pecuniam facere, et exsules hospitio accipere jus erat, nec quicquam de privatis legibus, institutis et magistratibus Romani detrahebant (2). Tandem anno ante C. N. xc L. Julius Cæsar legem ferebat, qua civitas sociis Latinisque dabatur (3), et Tibur e *civitate fœderata municipium* fiebat. Tiburtes ad civitatem romanam veniebant, ita tamen ut natalis simul urbis municipes essent (4). Tibur enim sua instituta, suos magistratus retinebat. Inter quos summos honores *duumviri* vel *quattuorviri* obtinebant (5). Hi

(1) Tit. Liv., VIII, XIII-XV.

(2) Tiburtes enim *senatum* habuisse nos plurimi lapides inscripti docent, in quibus legimus : S. P. Q. T.; — D. S. S.; D. S. C., e. q. s. — S. Cabral et F. del Re, *Delle ville di Tivoli*, e. q. s., p. 6, 7, 15, et passim. Iisdem vero *ædiles* fuisse ex titulo a S. Viola (*Storia di Tivoli*, I, 225, n. 1), relato constat.

(3) Cicer., *Pro Balbo*, VIII, 21. Cf. Appian., *B. C.*, I, 49; Aul. Gel., *N. A.*, IV, 4, 3; Velleium, II, 16.

(4) Paulus, p. 127. Ed. Müller : « Tertio cum id genus hominum definitur qui ad civitatem romanam ita venerunt, ut municipes essent suæ cujusque civitatis et coloniæ, ut Tiburtes, » e. q. s.

(5) S. Cabral et F. del Re, *op. cit.*, p. 15 et 39; Grüter, p. 1080, n. 9, et passim.

magistratus, post annum quintum *quinquennales* appellati, Tiburtes recensebant Tiburtinumque senatum perlegebant collatum ex *quinquennalitiis*, *allectisque inter quinquennales* et ex *patronis municipii*, quos ab ultimis rei publicæ temporibus *clarissimos viros*, *equites romanos* dictos sæpissime Tiburtini lapides inscripti commemorant. Nempe cum plerique eorum virorum Romæ magni nominis essent, studiose a Tiburtibus appetiti fuerunt, utpote magnam auctoritatem magnamque celebritatem civitati, in qua *tabulæ hospitali* inscripti erant, adferentes (1). Ad hos denique magistratus clarissimosque cives romanos sese *Herculanii Augustales*, post Augusti mortem creati, et *præfecti* adjunxerunt (2).

At si ab eo tempore quo municipium factum est, Tibur cives romanos vel patronos coaptavit, vel ruris amatores ad se allexit, rursus illustrissimos Tiburtes Roma in civitatem jamdudum receperat. Multo enim ante legem Juliam latam, nonnullæ gentes Tiburtinæ inter romanas eminere et in re publica primas tenere cœperant. — Plautii, exempli gratia, de quorum Tiburtino infra agetur, memorandi sunt. Nempe anno ante C. N. CCCLV, Tiburtibus Gallisque devictis et pacem petentibus, C. Plautius, quo major icti fœderis fiducia foret, consul cum C. Fabio factus fuerat.

(1) Inter quos, diversis imperii temporibus, C. Æmilius Antonius (Muratori, p. 174, 4), Q. Junius Severianus (Grüter, p. 427, 1), C. Terentius Valens (Grüter, p. 473, 5), C. Popilius Carus (Grüter, 457, 6), et ipse Pupieni filius reperiuntur.

(2) Fabretti, 436, 25; Orelli, 2679, 6065.

Anno deinde CCCXXVII, paulo post pacem Latinis impositam, L. Plautium Vennonem, C. Plautii fortasse filium, consulem Romani creaverant. In cujüs locum C. Plautius Proculus anno insequenti successerat. Posterius, anno CCCX, C. Plautius Venox cum Appio Claudio censor fuerat (1). Denique, ne pluribus morer, auctore C. Plautio Silvano, tribuno plebis, lex anno ante C. N. LXXXIX lata erat, L. Julii Cæsaris legi priore anno perrogatæ similis, qua civitas Tiburtibus dabatur. Ita vir ortu Tiburtinus municipes suos in civitatem romanam recipiebat (2).

Sic res Tiburtinæ erant, cum Romani in hoc municipio villas ædificare et rusticari confertim cœperunt. — Ex eo anno LXXXIX, magna fit inter Romam Tiburque societas. Dum Præneste, urbem religiosissimam, Fortunæ templum consecrat, Tibur, urbem amœnissimam, villæ adornant.

(1) Tit. Liv., VII, XII, VIII, XIX, XXII; IX, XXIX.

(2) Cicer., *Pro Archia*, III : « Data est civitas Silvani lege et Carbonis, « Si qui fœderatis civitatibus ascripti fuissent; si tum, cum lex ferebatur, in Italia domicilium habuissent; et si sexaginta diebus apud prætorem essent professi. »

CAPUT II.

DE VILLIS TIBURTINIS ANTE AUGUSTUM.

Tibur, etsi ante Augusti ætatem nondum summa Romanorum frequentia celebratum et maximis poetarum laudibus ornatum fuerit, aliquam tamen ruris amœnissimi famam jamdudum sibi conciliaverat. Nonnulla enim in agro Tiburtino villarum rudera reperies, quas, ex ratione in disponendis operibus adhibita, diversis rei publicæ temporibus, et a civibus romanis habitatas fuisse jure dices. Propius est fidem, exempli gratia, M. Lepidum, Antonii et Octavii in triumviratu collegam, Tiburtinum habuisse, cujus vestigia in campo nunc *Limpido* appellato sparsa ostenduntur (1). C. quoque Cassii (2) et C. Cæsaris (3) villas

(1) Et de quo M. Tullium mentionem in epistula ad Atticum scripta fecisse dicerem, nisi magna esset de loci integritate disputatio. Alii enim legunt : « De Domitio varia audimus, modo esse in Tiburti *Lepidi*... » Alii autem : « De Domitio varia audimus, modo esse in Tiburti, haud *lepide*... » (*Ep. ad Att.*, VIII, 14).

(2) In via nunc *strada di Carciano*, nuper *strada Cassiana* dicta.

(3) « Quod si quippiam eorum falsum est, his palam refelle, unde qui modo ne paternam quidem domum redimere potueris, repente,

prope Tiburis portas et Romam versus ita dispositas invenimus, ut occidendus occisuro proximus fuerit. E villa sua igitur conjurationem, ex aliqua parte forsan in Tiburtino C. Cassii conflatam, Cæsar subodorari potuisset. Sed fieri quoque potest ut eo tempore Crispus Sallustius Tiburtinum C. Cæsaris fundum jam comparaverit, qui usque ad nostram ætatem novi domini nomen retinuit. Nempe juxta *portam romanam*, locus est villæ opportunissimus ruderibusque raris sparsus quem Tiburtes *Lostiano* vel *Lustiano* vocant.

Sed inter ceteras hujus ætatis possessiones villa ea eminebat quam a Scipionibus Q. Cæcilius Metellus acceperat (1) ; quæ quidem in loco nunc *Campetello*, olim scilicet *Campo Metello* vocato ædificata, adeo splendida erat ut ab omnibus et præcipue a Glaucia prætore Numidico invidiose objiceretur, tantæque magnitudinis, ut eam C. Cæsar, licet oculorum morbum jurans, a porta Esquilina videre se profiteretur (2).

tanquam somnio beatus, hortos pretiosissimos, *villam Tiburti C. Cæsaris*, reliquas possessiones paraveris. » — Ex oratione quæ a Cicerone *in Sallustium* scripta falso dicitur. — Vide *Sallustii opera* a Jordan vulgata (Berolini, 1876), qui sine causa, ut opinor, lectionem *Tiburti* aliqua falsitate notatam videtur existimare (7, 19).

(1) Cicer., *De Orat.*, II, LXV : « Villam in Tiburte habes, cortem in palatio. » Quem locum sic commentatur Turnebius : « *Villam in Tiburte habes*... illic villam habebat magnificentissimam et elegantissimam ideoque invidiosam Metello. Ergo Glaucia, vir improbissimus, objicit illi invidiose villam Tiburtinam. »

(2) Cicer., *De Orat.*, II, LXVIII : « Ut ego (Cæsar), qui in delectu, Metello, cum excusationem oculorum a me non acciperet, et dixisset :

Quid de C. Marii villa dicam, cujus rara vestigia in colle Marii prope *Sanctæ Mariæ* ædiculam aspiciuntur? Quid de prædio, quod M. Junius Brutus a patre acceptum nequiter vendiderat (1)? Multo etiam ante hoc tempus, Augusti quidem ætati jam proximum, fundos reperire est, in quos sese Romani sæpe reciperent. Primus autem videtur villam in his locis habuisse rex Syphax, qui, a Scipione victus, Albam primum, deinde Tibur, juxta Anienis ripas relegatus fuerat (2). Nec procul hinc, sedem, extremis imperii romani temporibus, sibi Zenobia seponet : mira quidem rerum dispositione, cum primam in rure Ti-

« Tu igitur nihil vides? » — « Ego vero, inquam, a porta Esquilina video villam tuam. »

(1) Cicer., *De Orat.*, II, LV. « Ex libro primo : *Forte evenit ut in Privernati essemus.* Brute, testificatur pater se tibi Privernatem fundum reliquisse. » « Deinde ex libro secundo : *In Albano eramus ego et Marcus Filius.* » « Tum ex libro tertio : *In Tiburti forte assedimus ego et Marcus Filius.* Ubi sunt ii fundi, Brute, quos tibi pater publicis commentariis consignatos reliquit? »

(2) Tit. Liv., XXX, XLV : « Syphax Tibure haud ita multo ante mortuus. » Vide in musei Pii Clementini vestibulo inscriptum lapidem, in quo legitur :

SYPHAX NVMIDIAE REX
A SCÞIONE AFRC · IVR · BEL · CAVSA
ROM · IN · TRIVMPH · SV̄M ORNAV
CAPTIV̄S · PERDVCTVS
IN TIBVRTINO · TERRI · RELEGATV
SVAMQ · SERVIT · V · IN · ANI · REVOL ·
SVPREM · Đ' CLAVSIT
ETATIS ANN · XLVII . M · VI · Đ' XI
CAPTIVITS V · OBRVIT
P · C · SCÞIO CONDITO SEPVL ·

Hoc autem epigramma falsum et a recentioribus grammaticis scriptum fuisse satis liquet.

burtino villam rex, ultimam regina, — ambo a Romanis devicti, — incoluerint.

Notandum est autem hoc ante Augustum Tiburtinis villis præcipuum fuisse, quod raro eas sola rusticandi et locorum amœnitates quærendi causa cives romani habitaverunt. Immo vero, diversis rei publicæ temporibus, secessus ille aut exsulantibus aut seditioso cuique et turbulento homini refugium plerumque fuisse videtur (1). Tibur enim, ut nonnullis utar exemplis, M. Claudio, cæsa Virginia, Syphacique, amissa Numidia, et Corn. Scipioni Æmiliano, invidiosos tribunorum plebis clamores aufugienti, exsilium erat. Exsulabant quoque Romani tibicines, cum in æde Jovis vesci prohibiti uno agmine Tibur abirent (2). Amœnissum vero et Romæ proximum exsilium, cujus ingens erat Ovidio longius a patria relegato desiderium :

« Exsilium quodam tempore Tibur erat (3)! »

Idem municipium infesta rei publicæ cogitantibus tutissimum erat receptaculum ; quippe quod, viginti millia passuum ab Urbe distans, non magis propinquum sit, quam ut nequeant, si res male processerint, fugam capessere civitatis turbatores, neque adeo remotum ut iidem varios consiliorum suorum exitus

(1) Polyb., *Hist.*, VI, xiv.
(2) Tit. Liv., IX, xxx.
(3) *Fast.*, VI, 666. Cf. *Pont.*, I, 3, 81-82 :

« Quid referam veteres Romanæ gentis, apud quos
Exsulibus tellus ultima Tibur erat? »

pernoscere et ex rebus prospere succedentibus commoda quam celerrime comparare prohibeantur. Vide enim M. Antonium Tibur petentem : scilicet hinc tutius inimicitias M. Tullio denuntiat; hinc, pestifera concione, Urbem suis se divisurum palam profitetur; hinc denique civibus romanis minatur domosque notat (1). Hic et C. Marius, priusquam Præneste abeat, Tiburtes in suas partes trahere et seditionem Syllæ infensam commovere, adjuvante Cinna consule, conatur. Hic denique C. Cassium cum Bruto de Cæsare interficiendo in villa meditatum fuisse haud improbabilis erit suspicio.

Quid? nullus ne iis temporibus poeta circa Tiburis ripas carmina condens et in præcipitis Anienis Albuneæque domus resonantis contemplatione defixus potest inveniri? Immo vero, ea jam ætate nonnullos ipso rure Tiburtino delectatos et gavisos fuisse, testis est inter ceteros Catullus, qui fundum prope Tibur habebat, ubi minime Cæsari placere aut insidiari, neque utrum esset albus an ater dictator scire studebat (2). Tiburtinum enim petebat poeta ideo tantum, ut e memoria sumptuosissimas Urbis cenas, pestilentesque Sextii orationes, e pectore autem malam tussim expelleret, utque rus suum laudibus extolleret :

« O Funde noster,....

(1) Cicer., *Philip.*, V, VII; VI, IV; XIII, IX.
(2) XCIII.

Fui libenter in tua suburbana
Villa, malamque pectore expuli tussim (1). »

Scilicet Catullus in sola carminum amorumque et amicorum cogitatione defixus Horatio ætate anteit, et qualis futura sit Tiburtinæ rusticationis, Augusto principe, natura prænuntiat.

Constituto enim Octaviani principatu, Tiburis, sicut omnium rerum, facies immutata est, disparesque mores, ut ait Tullius, disparia studia secuta sunt. Postquam omnibus otia deus fecit, per se jam rus exoptatur et diligitur. Quam plurimæ villæ in diversissimis regionibus ædificatæ ab iis frequentantur qui, negotiis vacui et urbanam æstivis mensibus febrim reformidantes, vel in maritimas litoris mediterranei, vel in montanas Latii villas se recipiunt. Tiburtinus vero secessus Tusculo Prænestique ceterisque municipiis longe ea ætate anteponitur, nec proprium erat unius Horatii votum illud :

« Tibur Argeo positum colono
Sit meæ sedes utinam senectæ,
Sit modus lasso maris et viarum
Militiæque (2) ! »

(1) XLIV, 1, 6-7.
(2) *Carm.*, II, VI, 5-9.

CAPUT III.

DE SINGULARIBUS RURIS TIBURTINI COMMODIS ET AMŒNITATIBUS.

Rus Tiburtinum, sive ipse invisas, sive locorum ignarus ex antiquis scriptorum operibus animo tantum concipias, mox persuasum habebis non alium quemquam secessum Romanis jam a rebus publicis desistentibus otioque luxuriantibus aptiorem exstitisse. Quæcumque enim vitæ commoda et oblectamenta alibi passim sparsa vix inveniri potuissent, hic in unam eamdemque regionem collata fuisse videntur : amœnus videlicet locorum situs, eximia ruris pulchritudo ac venustas, suavissima cæli, æstivis etiam mensibus, temperatio, summa denique omnium rerum, quæ ad usum dulcedinemque vitæ et ad animi jucunditatem corporisque sanitatem spectant, abundantia.

Civem romanum Augusti temporibus æqualem finge tibi ab Urbe porta Viminali exeuntem et viæ Tiburtinæ insistentem. Cui vicesimum circiter lapidem Anienemque fluvium transgresso campi occur-

rent arboribus herbisque abundantes, et primo aspectu eo fertiliores, quo aridior planities romana prius transeunda fuerit. Hinc scilicet Tibur suburbanum extendi incipit. Urbs ipsa ita collibus applicata et amni simul apposita est, ut alteri eam frigidioribus ventis subducant, alter vero, multa riparum amœnitate inumbratus udisque pomariis rivos mobiles irrorans, ei frigus opacum abunde præbeat. Aquis etiam modo urbem et suburbanum præfluentibus, modo ex alto desilientibus adde subterraneas fontium deductiones quibus, ut ex lapide inscripto compertum habemus (1), omnes Tiburtinarum villarum incolæ « *per vicem in dies et horas modulosque certos fruebantur.* » Unde fit ut secessus ille, quem poetæ *uvidum fertilem*que et *umbrosum* jure dixerunt, a civibus insalubris romani cæli gravitatis impatientibus sæpissime frequentari deberet. Hoc etiam ceteris Tibur superabat, — et nonnullis quidem, mulieribus præcipue, id maximum erat, — quod gelida locorum perennitas formosum cuti nitorem venustosque ori colores inducere existimaretur :

« Tibur in herculeum migravit nigra Lycoris,
Omnia dum fieri candida credit ibi (2). »

Præterea, nusquam alibi liberaliora et delicatiora reperire erat alimenta. Nec poetæ modo, sed et ipsi rei rusticæ scriptores eximia Tiburis pecora fructusque et holera dilaudavere. De tiburtino scilicet agro

(1) Grüter, 182, 5.
(2) Martial. *Epig.*, IV, 62. Cf. VII, 13; VIII, 28, 11-12.

veniebant pinguissimi hæduli et toto grege molliores (1); Tiburis quoque poma et uvæ, Picenis etiam sapidiores habitæ, montanique asparagi et ceteræ fruges magni æstimabantur (2).

Quid vero de urbanis hujus municipii voluptatibus dicam, quibus Romani cives, etiam cum rusticarentur, carere ægre patiebantur? Quid de bibliotheca in templo Herculis satis commode libris instructa (3)? Quid de solemnibus festis quæ *Popinaria* vocabantur, et a Tiburtibus æstivis mensibus quotannis celebrari solebant (4)? Quid de scænicis amphitheatralibusque spectaculis? Theatrum scilicet Herculis templo adjacebat (5), ingensque amphitheatrum non procul ab arce a Pio II ædificata exstabat; hujus autem vestigia arx nova omnia consumpsit : ipsæ ruinæ perierunt (6).

(1) Juvenal. *Sat.*, XI, 65-66.

(2) Plin., *H. N.*, XVII, xxvi, 3 : « Tot modis insitam arborem juxta Tiburtes Tullias, omni genere pomorum onustam, alio ramo nucibus, alio baccis, aliunde vite, ficis, piris, punicis, malorumque generibus. » Cf. Columell., *De re rustica*, X, 138, et Juven., *Sat.*, XI, 68-69.

(3) Aul. Gel., *N. A.*, XIX, 5, 4. — Fieri quidem potest ut hæc bibliotheca ab A. Gellio memorata nondum Augusti ætate instructa fuerit, sed ab Hadriano primum publicata. At cum Herculis templum Augusti temporibus Tiburtes ædificaverint, nec postea refecerint, propius est fidem bibliothecæ locum jam ea ætate fuisse reservatum. Adde quod et ante Octavianum Cæsar bibliothecas græcas et latinas publicare curaverat (Sueton., *Cæsar*, XLIV).

(4) V. inscriptum lapidem apud Viola, Tivoli, *Nel decennio dalla deviazione del fiume Aniene*, p. 73.

(5) V. inscriptum lapidem a F. del Re et S. Cabral (*Delle ville*, etc., p. 39), relatum.

(6) Gobellino, *Comment.*, lib. V. — V. *Viola, loc. cit.*, p. 196. Cf. *Inst. arch.*; *Bullet.*, 1852, p. 153.

Non vero otiosos tantummodo et recte valentes Romanos, sed et ægrotantes amœnissime in Tiburti habitavisse pro certo teneamus. Nempe, jam omissa aeris et montium salubritate, alia, et efficacissima quidem medicamenta in ipso suburbano reperiebantur. Quot enim et quantæ fuerint Aquarum Albularum prope Tiburtinam viam profluentium virtutes testantur nonnulli auctores (1) plurimique lapides inscripti et ex voto positi (2). Qui quidem fontes sulphurosi, et ideo maxime medicamentosi, graves omnium generum morbos evincere, et, præter ceteros, cutis tumores nervorumque labores reficere merito dicebantur, percalefaciendo exurendoque e corpore humores vitiosos. Unde fit ut magnus fuerit in hac regione Æsculapii Hygiæque cultûs, Augusti præsertim ætate, cum Aquis Albulis princeps sæpius ipse, nervorum causa, uteretur (3), et, hujus exemplo, permulti vel

(1) Vitruv., VIII, III, 2. Strabo, V, 3, 11. Martial., I, 13.

(2) Unum inter multos proferamus :

AQVIS ALBVLIS
SANCTISSIMIS
VLPIA ATHENAIS
M · VLPII AVG ·
LIB · AB · EPISTV ·
LIS VXOR
LIBENS
D · D ·

(3) Sueton., *Octav. Augustus*, LXXXII : « Quoties nervorum causa marinis Albulisque calidis utendum esset, contentus hoc erat, ut insidens ligneo solio, quod ipse hispanico verbo *duretam* vocabat, manus ac pedes alternis jactaret. » Easdem aquas Albulas Nero in domus aureæ balineas inducet (Suet., *Nero*, XXXI).

graviter sese habentes, vel etiam valentes ad easdem concurrerent.

Ex iis igitur, quæ supra dicta sunt, jam facile prævidere licet quantam, Augusto nunc principe, Romanorum celebrationem Tibur habiturum sit. Cujus vero secessus quæ singulares fuerint deliciæ melius intelliges, modo Tiburi Tusculum, ut uno exemplo utar, et loca circumjecta præsens contuleris. Tusculani enim ruris, licet villis magnificis et Circæa mœnia tangentibus ornati, quanto inamœnior est situs et aridius solum, fluvio nativisque aquis carens, et tristior aspectus! In Tusculano scilicet agro, graves potius habentur de natura deorum, de finibus bonorum et malorum aut de morte quæstiones. In Tiburti vero, animi ad condendos versiculos et poemata tenui filo deducenda, vel etiam ad otium desidiamque natura impelli videntur. Quid mirum igitur si in secessu illo, cum novo rerum publicarum statu valde congruente, errantes circa Tiburis ripas ac nemora poetas, poetarumque amicos, et cives a longo honorum cursu in villis requiescentes jamjam simus inventuri ?

CAPUT IV.

IN QUIBUS POTISSIMUM LOCIS ET QUIBUSNAM RATIONIBUS EXSTRUCTÆ FUERINT, AUGUSTI ÆTATE, VILLÆ TIBURTINÆ.

Priusquam Tiburis villæ et villarum incolæ singillatim recognoscantur, opere pretium esse arbitror generalia quædam colligere, et universa quasi investigatione notare quibus in locis regionis illius montanæ simul ac planæ, et quibusnam rationibus Romani Augusti temporibus æquales villas ædificare consueverint.

Quas omnes Occidentem spectavisse, ut quidem e præsenti ruinarum aspectu judicare licet, in primis animadvertendum est. Cur autem villæ ita ad eamdem cæli regionem dispositæ et in hac re inter se similes fuerint, duas causas adferendas puto. Altera est quod non aliunde longius ac latius quam ex occidentali montis dorso, cui Tibur ipsum acclinatum est, visus extenderetur; sinistrorsum scilicet colles Albanos urbesque iis gradatim applicatas, dextrorsum autem immensam agri romani planitiem usque ad Tyr-

rhenum mare, candidumque neve Soracte, et ex adverso denique Urbem ipsam prospicere licebat. Quo quidem spectaculo Romani vehementer Augusti ætate delectatos fuisse pro certo habeamus; nam plerique, etiam cum ruri viverent et sese ruris amatores prædicarent, Romæ Tibur, Tibure Romam ventosi amabant, romanisque opibus strepituque et fumo egentes ab Urbe oculos dimovere ægre patiebantur. Quemadmodum autem a porta Esquilina Tiburtina Metelli villa, ita a Tiburtinis villis Roma optime prospiciebatur. Ea vero altera causa adferenda est, quod villæ Tiburtinæ Occidentem spectantes temperatiore ideoque jucundiore solis calore uterentur. Superatis enim Sabinæ montibus, sol occiduus non jam adversos, sed obliquos, et, ut ita dicam, refrigeratos in ædium frontem radios projiciebat, itaque major Romanis Tibur æstivo præcipue tempore incolentibus voluptas adferebatur.

At in constituendo soli ipsius situ non eadem atque in eligenda cæli regione omnes villarum incolas trahebant delectabantque. Nempe cum rus Tiburtinum clivosa aut plana vel etiam excelsa in summis collibus spatia ad exstruendas ædes præberet, et ita ad diversissima uniuscujusque studia sese ultro accommodaret, tres fuere villarum species, quarum rudera sive collem insidentia, sive fluvio Anieni, in planissimo campo, apposita, sive denique montibus applicata reperiuntur. Hanc vero ultimam ædificiorum dispositionem multo ceteris usitatiorem fuisse adfirmaverim. Facilis prorsus explicatio rei : nempe ad

villas collem insidentes aditus magis arduus erat, sæpiusque, propter locorum angustias, fabricæ et ambulationes impediebantur. Item, villæ in plano et prope Anienem ædificatæ perpetuo periclitabantur inundari rapique vi aquarum, si forte extra ripas amnis effluxisset. Quod quidem accidisse testatur Plinius : « Anio, inquit, delicatissimus amnium, ideoque adjacentibus villis velut invitatus retentusque, magna ex parte nemora, quibus inumbratur, fregit et rapuit; subruit montes et decidentium mole pluribus locis clausus, dum amissum iter quærit, impulit tecta, ac se super ruinas evexit atque extulit. Viderunt hi, quos excelsioribus terris illa tempestas non deprehendit, alibi divitum apparatus et gravem supellectilem, alibi instrumenta ruris ;... atque hæc inter arborum truncos aut villarum trabes atque culmina varie lateque fluitantia (1). »

Non eadem vero inerant villis jugi Tiburtini collibus applicatis incommoda. Quippe quæ in excelsiore loco exstructæ, fluvium in conspectu, non tamen nimis in propinquo haberent, et monti molliter assurgenti ita appositæ essent ut minime difficilis ad eas aditus præberetur, et longe lateque extendi diversæ ædificorum stucturæ possent. Arduum tantummodo erat constituere fundamenta. Etenim, cum non planus sed declivis locus esset, plures in parte anteriore ac crassiores fundationes supponi debebant, ut æqua deinde ad exstruenda ædificia planities pa-

(1) *Epist.*, VIII, xvii.

teret, utque eadem solido nixa perpetuam ad tantum onus sustinendum haberet firmitatem. Cæmentis igitur maximi ponderis, aliis super alia sedentibus et inter se implicatis, instituta fuerunt hypogea et concamerationes quæ superiorem villæ structuram fulcirent, et porticus, cubicula, gestationes, piscinas, balnearia, ambulationes, leporaria et cetera de genere hoc sufferrent. Quam vero firma hæc fundamenta fuerint nunc etiam videre est, cum labefacti ædificii onere levata eadem integra maneant, et sola adhuc exstantia plerumque reperiantur.

Nec ceteris solidior modo, sed, ut supra diximus, ad habitandum commodior ideoque usitatior erat ea villarum species. Dum igitur nonnullæ in summo alicujus exigui collis vertice, plura autem secundum Anienem prædia ponebantur, permulta Tiburtinos colles longissime a septentrione usque ad meridiem explicatos adornabant. Unde fit ut non falsa vaticinari videatur Horatius, cum queritur cives suos tam cupide domos ædificare, ut jam pauca aratro jugera regiæ moles sint relicturæ (1).

(1) *Carm.*, II, xv, 1-2.

CAPUT V.

DE VILLA AUGUSTI ET MÆCENATIS.

Augusti tempore, dum cetera Romanorum prædia sive in Albanorum montium dorso, sive ab Ostia Baïarum tenus, juxta maris Tyrrheni litus posita, a quibuslibet ignotisque hominibus, quorum memoria oblivione exstincta est, incolebantur, pleræque ruris Tiburtini villæ a civibus frequentari solebant quos pace belloque illustres monumenta oratorum historicorumque, maxime vero poetarum consecravere. Huc scilicet ii inter ceteros, stabilito Octaviani principatu, convenire solebant quos Augustus et Mæcenas sæpius cupidiusque sibi comites familiaresque adjungebant. Ut Romæ, ita in Tiburte poetici conventus sub Mæcenatis patrocinio tutelaque agebantur, et multi in hos locos æstivis mensibus ad otiandum, fabulandum, recitandumque et disserendum confluebant ; inter quos Horatius, Propertiusque et eorum amici adnumerandi sunt. Constat enim, ut infra videre erit, Quintilium Varum, Munatium Plancum, Pisones, Lollii,

et fere omnes, ad quos epistulas et carmina mittebat Horatius, villas in rure Tiburtino habuisse.

Ab Augusto principium, qui, ut a Suetonio traditum est, ex secessibus Urbi proximis Tibur præcipue frequentavit (1). Hic enim nervorum causa Albulis calidis utebatur, et in porticibus (2) templi Herculis, ubi *Herculanii Augustales* principis sacra procuraturi exinde instituti fuerunt, persæpe jus dicere solebat. Villam igitur in Tiburti Octaviano fuisse, quam ipse princeps habitaret, licet suspicari. Hujus vero nec vestigia nec memoriam superesse accepimus. At cum ab eodem Suetonio docemur Augustum ampla et operosa prætoria semper gravatum esse, et satis habuisse si in alicujus libertorum suburbano consideret, sæpiusque in domo Mæcenatis cubuisse (3), jure concludendum erit illum nihil privati ac separati in Tiburtino rure possedisse, sed eamdem, atque eum qui imperii consors erat, villam incoluisse. Non me quidem fugit hujus tandummodo, quam Romæ Mæcenas habebat, domus Suetonium mentionem fecisse. At si Augustus in urbana Mæcenatis domo æger sæpius cu-

(1) *Octav. Augustus*, LXXII; *ibid.*, LXXXII.

(2) Quarum mentionem facit hic lapis inscriptus (Orelli, 3283) :

C · LVCTIVS · L · F · AVLIAN · Q · PLAVSVRIVS · C · F · VARVS
L · VENTIDIVS · C · F · BASSVS · Q · OCTAVIVS
C · F · GRAECHIN ·
IIII VIR
PORTICVS · P CCLX · ET · EXSEDRAM · ET · PRONAON
ET · *PORTICVM* · PONE · SCAENAM · LONG · P · CXL
S · C · F · C ·

(3) *Loc. cit.*, LXXII.

baret, cum ædes ipsi juxta Romanum forum et in Palatio essent, quanto magis eidem, (si omni revera prope Tibur prædiolo ipse indigeret), Mæcenatis villa frequentanda fuit!

Hunc autem virum habuisse Tiburtinum fama a remotissimis temporibus usque ad nostram ætatem tradita semperque apud incolas credita refert. Quam equidem, licet parum perspicuis scriptorum monumentis comprobatam, non refellere ausim. Minime enim dubium esse potest quin Mæcenas, vir delicatissimus et pelliculam probe curans, frequenter amœnum Tibur adierit, cum Procyon et stella vesani Leonis furerent, præcipue vero cum ad ædes Esquilini montis in sublime exstructas fumumque et strepitum Romæ deserendos ab Horatio invitaretur, atque in rure Tiburtino congregatas hominum litteratorum et sibi proximorum cohortes inventurus esset. Sed tota via erravere rerum Tiburtinarum investigatores (1) et recentiores critici (2), qui ex iis ejusdem Horatii versibus :

« Ne semper udum Tibur et Æfulæ
Declive contempleris arvum, et
Telegoni juga parricidæ (3) »

villam Mæcenatem in Tiburti habuisse concluden-

(1) Stephano Cabral et Fausto del Re, *Delle ville della città e del territorio di Tivoli*, p. 38. Volpius, *Latium vetus*, lib. XVIII, cap. 7; et alii.

(2) Peerlkampius, exempli gratia, quem graviter refutavit Dillenburger (*Q. Horatii Flacci opera omnia* (Bonnæ)). *Carm.*, III, xxix, 6-9.

(3) *Carm.*, III, xxix, 6-9.

dum esse existimant. Etenim Tibur, et Æfulam, opposito montium dorso, Præneste versus, subjacentem, ideoque Tiburtini incolæ oculos effugientem non e Tibure, ut plures putant, sed ex Esquilina et nubibus arduis propinqua domo contemplabatur Mæcenas. Qui non ut Romam Tibure, sed Tibur Roma excedens deveniat ab Horatio incitatur; quod quidem iis subsequentibus verbis maxime perspicitur :

« Omitte mirari beatæ
Fumum et opes strepitumque Romæ (1). »

Itaque Mæcenas, cum in rure Tiburtino versaretur, villam habitavisse dicitur quam sibi exstruendam curaverat, quamque ad ipsum Tibur, in sinistra Anienis ripa, ubi ingentia exstant veteris ædificii rudera, positam fuisse omnes antiquitatis investigatores unanimi constantique opinione usque ad hoc tempus adfirmaverunt (2). Qui vero, ut diversas illius monumenti partes ad domesticos ædium privatarum usus accommodarent, summa difficultate adficiebantur. Quippe quod adeo a ceteris villis et amplitudine et

(1) *Loc. cit.*, 11 et 12.

(2) Stephano Cabral et Fausto del Re, *op. cit.*, p. 8. « Gli storici di Tivoli, Lilio Girarldo, Francesco Marzi, Marc. Antonio Nicomedi, Antonio del Re, Anastasio Kircher, Giovanni Maria Zappi, ed altri attribuiscono concordemente questa villa al celebre C. Cilnio Mecenate, discendente dagli Etruschi regi, e fidissimo Consigliere di Augusto, e che superò piu Re in dovizia ed in potere... E *villa di Mecenate* e stato sempre per *immemorabile tradizione* chiamato il tratto dà noi descritto. » Cf. Dom. Toschi, Tiburis Episc., *ex ms. Bibliothecæ Barberinæ*, LVIII, 31, p. 184-196.

dispositione differret, ut, quomodo inhabitari potuerit, ne animo quidem conciperetur. Quid enim sibi tot et tantæ et tam mirabiliter ordinatæ substructiones vellent, quanamque ratione domus, Vaticanis Sancti Petri ædibus excelsior, ut ex ruinis adhuc exstantibus computavit G. Zappi, calefacta fuerit, cum nulla hypocausti vestigia apparerent, minime intelligi poterat. Quid vero de fenestrarum luminibus dicam, quibus absentibus Volpius ipse, etsi hanc villam Mæcenatis fuisse non dubitet, se animo pendere confitetur : « Quanta, inquit, perscrutatione investigaveris, nullam tamen in his ædificiis fenestram quæ lumen admittat reperire licebit, ut quomodo habitata fuerint vix tibi effingere possis (1). »

Facilis prorsus explicatio rei. Non enim Mæcenatis villa, ut omnes usque ad hanc ætatem falso putavere, sed Herculis templum, ut ex inscripto lapide nuper inter rudera effosso (2) compertum est, in iis locis exstabat. Unde fit ut doctissimus quisque, cum sese non publici sed privati ædificii vestigia ante oculos habere et villam describere arbitraretur, sæpius animo penderet; quamvis mirum sane videatur eumdem tot et tantis difficultatibus impeditum ab iniqua existimatione non destitisse. Unde fit quoque ut majoris nunc operis sit, tanto temporis spatio interposito, locum in quo Mæcenatis villa ædificata fuerit reperire et terminare.

(1) Volpius, *op. cit.*, lib. XVII, c. VII, p. 217.
(2) Anno 1862. V. *Revue archéologique*, 1863, p. 81 et seqq.

Mihi tamen liceat aliquam ex villa, quæ omnium magnificentissima et Augusti ætate certe exstructa silentio prætermitti non potest, conjecturam capere. A Tibure Hadriani villam versus per oliveta descendenti plurima ingentis cujusdam ædificii vestigia occurrunt. Tres aliæ aliis suppositæ lateque patentes areæ, immensi parietum tractus, superba xysti, cenaculi, porticus et theatri rudera in altum per continuos subtus exstructos fornices educta, ornatissima columnarum et parietum pavimentique opere pretioso tessellati fragmenta ostenduntur. Adde quod innumeræ et rarissimæ statuæ in Vaticanum Museum translatæ iisdem in locis detectæ fuerunt. Hinc scilicet et *Citharœdus* Apollo, et Musæ (1), et Minerva, et jacens Bacchus, et plurimi Hermæ Platonis (2), Pittaci, Solonis, Thaletis, Æschinis, aliorumque effigiem gerentes veniunt. Nunc vero, si ædificium illud ultimis rei publicæ aut primis imperii romani temporibus, ut e

(1). Exceptis Urania et Euterpe, quæ ex Velitris Romam translatæ fuerunt.

(2) In cujus basi titulus ille legitur :

Πλάτων
᾿Αρίστωνος
᾿Αθήναιος

Αἴτια ἑλομέ
νω θεὸς
ἀναίτιος

φύχη δὲ πάσα
ἀθάνατος

V. S. Viola, *Tivoli nel decennio*, p. 291.

structuræ genere satis liquet, constitutum et a cive ditissimo, ut reperta in his locis eximiæ artis opera testantur (1), inhabitatum fuisse putes, nonne ad hanc Mæcenati adjudicandam villam libenter adduceris? Præsertim cum ille vir doctissimus, persæpe inter poetas et litteratos homines versatus philosophiæque et artium amantissimus, pretiosissimis sculptorum operibus marmoreisque Græcorum virorum capitibus, de quibus inter familiares hospitesque frequens sermo habebatur, delectari debuerit. Anceps quidem æstimatio : sed cum splendidissimum illud Tiburtinum vix privati hominis fuisse potuerit, Mæcenatis memoria sponte animo occurrit; quippe qui solus ea ætate inter tot et tanta artis miracula potuisse habitare videatur. Nisi forte Augustum excipias; quem vero ædes profuse exstructas statuarumque et tabularum pictarum ornatu splendidas nunquam habuisse comperimus (2). Hunc tamen iisdem in locis secessisse, si ea quæ supra dicta sunt non omnem excedunt fidem, immo eadem ipsum possedisse fingemus. Tiburtinum enim Mæcenatis prædium, qualecumque fuerit, simul ac cetera ejusdem bona, Augusto hereditate obvenisse a Dione accepimus.

(1) Tot artis miracula ibi diversis temporibus, præcipue vero annis MDCCLXXIV et MDCCXLVIII, effossa fuerunt, ut optime dixerit D. de Sanctis hunc locum dignum esse quem pro deo veneremur.

(2) Sueton., *Octav. Augustus*, LXXII : « Sua vero prætoria, quamvis modica, non tam statuarum tabularumque pictarum ornatu, quam xystis et nemoribus excoluit. »

CAPUT VI.

DE VILLA QUINTILII VARI.

In suburbano Tiburis rure, prope Anienis dextra contraque templum Herculis tamdiu Mæcenatis domus appellatum, situs est villæ opportunissimus. Collis scilicet triplici valle circumdatus leniterque acclivis ab orientali Marsorum monte, modica cujus altitudine protegitur, ad occidentalem plagam vergit. Hinc longe lateque subjecta licet prospicere. In meridiem enim præceps sinuosusque amnis et ipsum Tibur despiciuntur. Septentrionem versus Sabina regio altioribus montibus longissime terminata patet. Ad occasum denique planities exporrigitur ita immensa et undique aperta, ut ultra Romam usque ad Tyrrhenum mare prospectari possit.

Amœnissimus ille locus omnium oculos in se conjicere, et ab iis quam primum eligi debebat qui exstruendarum in Tiburti villarum principes fuere. Ibi enim jam Augusti ætate situm villa magnifica habuit, quam ex certissimis documentis Quintilii Vari fuisse constat. Quod quidem non pervetusta solum et perti-

nacissima fama tradidit, sed locus ipse ex domini nomine antiquum vocabulum adhuc servat et *Quintigliolo* dicitur. Villam autem in Tiburti Quintilium Varum habuisse docet Horatius, cum amicum ad vitem, ceteris omissis arboribus,

Circa mite solum Tiburis et mœnia Catili (1)

serendam adhortatur. Quibus verbis poeta non modo de Tiburtina Quintilii Vari villa nos certiores facere, sed etiam exactos locorum status designare videtur. Quippe qui prædium illud non in ipsa urbe, sed extra portas circaque Tiburis mœnia exstitisse moneat. Situs autem a nobis descriptus, quingentis ab urbe passibus distans, eamdemque quasi dimidio orbe amplexus, optime cum Horatii versu congruit. Adde quod ea est soli natura ut reipsa nulla vite prius arbos in hac regione seri potuerit. Cum enim Bacchus amet colles, nusquam alias feliciorem latioremque in rure Tiburtino clivum reperies quam hic, ubi infra ipsa villæ ædificia

Et tumulis acclive solum collesque supinos (2)

ad vites e superis in inferna ordinandas natura disposuisse videtur. Nec dubium quin vineta Quintilius Varus in fundo coluerit, præsertim cum a Virgilio Horatioque sibi amicissimis sæpius instigaretur; quo-

(1) *Carm.*, I, XVIII.
(2) Virgil., *Georg.*, II, 276.

rum alter vino mordaces diffugere sollicitudines, militiamque ac pauperiem e memoria abjici contendebat (1); alter vero gravioribus verbis quale solum, quæ cura, qui cultus adhibendus esset vitibus amico exponebat.

Hunc autem Quintilium Varum, qui Tiburtinum habebat, magna fuisse cum Horatio Virgilioque necessitate conjunctum testis ipse Horatius, qui eumdem, ad quem paulo ante de villa scripserat, et cujus acuta judicia in epistula ad Pisones aliquanto post plurimi faciet (2), multis flebilem occidisse luget, nulli vero quam Virgilio flebiliorem :

« Ergo Quintilium perpetuus sopor
Urget ! cui Pudor et Justitiæ soror
Incorrupta Fides, nudaque Veritas,
Quando ullum invenient parem ?

Multis ille bonis flebilis occidit ;
Nulli flebilior quam tibi, Virgili.
Tu frustra pius, heu ! non ita creditum
    Poscis Quintilium deos (3). »

Tanta enim constituta erat inter Quintilium Varum Virgiliumque amicitia, ut ambos fratres fuisse Acron existimaverit (4). Quod vero minime accipi potest, cum non eodem nomine appellarentur.

Quisnam autem Varus hic tiburtinus fuerit, quam-

(1) *Carm.*, *loc. cit.*, 4-5.
(2) 438.
(3) *Carm.*, I, XXIV, 5-13.
(4) Acron, apud Horatium, *Carm.*, I, XXIV, 3 et 4.

que ea ætate personam in civitate gesserit, eo magis ambigitur quo plures tunc idem cognomen habuerint. Eum tamen facile a Pompeio Varo discernamus cui e militia reduci gratulatur Horatius (1), et a L. Alfeno Varo qui, Gallia Cisalpina ab Asinio Pollione recepta, nullum Virgilio auxilium adversus veteranorum licentiam præstitit. Paulum enim abfuit quin poeta, Roma reversus agrumque suum repetens, ab Arrio centurione et Milieno Torone primipilari occideretur. Quod quidem accidisset nisi Virgilius, veteranorum gladios evitaturus, se in Mincium fluvium præcipitasset (2). Ceterum, quanta fuerit inter Alfenum Varum (3), Cisalpinæ provinciæ præfectum, Virgiliique amicum distinctio, satis ex nominum diversitate liquet, cum alter *Quintilius*, alter vero *Alfenus* vocaretur. Quid vero de P. Quintilio Varo dicam, qui consul anno DCCXLI, et deinde imperator, in Germania cum tribus legionibus legatisque et auxiliis tam miserabiliter cæsus est? Quem plurimi eumdem ac nostrum Quintilium fuisse crediderunt, et in hoc tota via erraverunt (4). Ille enim sex et viginti annos Virgilii superstes poetæ flebilis occidere non potuit. At cum Germanici exercitus imperator Tiburtinæque villæ

(1) *Carm.*, II, VII.

(2) Vide Ribbeck, *Prolegomena in Virgilium*, p. 6-7.

(3) Quid hic Alfenus Varus cum Horatii Alfeno vafro commune habuerit, enucleari non potest. Vide *Horatii opera* ab Orelli vulgata, *Sat.*, I, III, 130.

(4) V. Stephano Cabral et Fausto del Re, *Delle ville e de piu notabili monumenti di Tivoli*, p. 103-104.

dominus non eodem tantum cognomine, sed et eodem nomine appellarentur, opinari licet eos consanguineos fuisse, et ex S. Quintilio Varo natos, qui Pompeii, Brutique et Cassii vicissim legatus, vitam, profligato apud Philippos exercitu, producere negavit, et sese liberto interficiendum tradidit. Quæ si ita sint, tristissima profecto fuit fortuna illius gentis in qua omnes, terribili quadam fati necessitate, ut in Græcis fabulis videre est, vexati, aut per vim, veluti S. et P. Quintilius Varus, aut ante diem, velut ille de quo nunc agitur, interierunt.

Utcumque vero se ea res habuit, Quintilius Varus qui sibi Tiburtinum constituerat, et idcirco a Tiburtibus, licet Cremonensis, civitatem perceperat (ut ex veteribus municipii chartis constat) (1), nullis honoribus perfunctus est, sed sola litterati hominis acutique carminum judicis laude floruit. Optime scilicet iis, qui opera recitaturi conveniebant, consiliari solebat. Nemo erat qui apertius inertes versus reprehendere, duros culpare, incomptis atrum transverso calamo signum allinere auderet, quique minus amicos nimia sinceritate offendere timeret :

> Quintilio si quid recitares : « corrige, sodes,
> Hoc, » aiebat, « et hoc. » Melius te posse negares,
> Bis terque expertum frustra, delere jubebat,
> Et male tornatos incudi reddere versus (2).

Crebra profecto et longa hujus generis colloquia cum

(1) V. Stephano Cabral et Fausto del Re, *op. cit.*, p. 104.
(2) *Ep. ad Pisones*, 438-442.

præcipuis Tibur frequentantibus poetis alter ille Aristarchus habuit in ipsa villa quam sibi, agrum Cremonensem veteranis distributum aufugienti, in dextra Anienis ripa ædificandam curaverat.

Splendidus nimirum fundus, et ab homine constitutus, qui, in omni re elegans, acri non litterarum modo, sed etiam architecturæ judicio utebatur. Villa scilicet, ut e ruinis adhuc exstantibus colligendum est, tribus areis sibi invicem superpositis constabat. Quarum infera trecentos circiter pedes in fronte, occidentem versus, lata, et in quadrum diffusa, totius fabricæ substructio et ambulatio fuisse videtur. In hac quoque parte porticus et piscina visuntur; quarum alteræ vermiculatis pavimentis instratæ in latere sinistro latissime ad septentrionem porriguntur; altera autem meridiana regione in latere dextro excavata, quadraginta passus longa est, lata vero duodecim, et xysto circumdabatur pilisque latericiis tectorium nunc dirutum, sed superiore sæculo adhuc integrum, sustentantibus. Accedit quod plurimæ hic atque illic cryptoporticus et concamerationes inveniuntur, ad domesticos usus accommodatæ.

Ex prima illa area in aliam facilis scalarum gradibus in latere sinistro dispositis ascensus dabatur. Ibi domus ipsa attollebatur, quam maximam ex areæ amplitudine, locupletissimamque fuisse ex marmoreis columnarum fragmentis, abacis, statuis Augusti ætate factis philosophorumque et numinum vultus exhibentibus, ex denique pretiosissimis lapidibus gemmarum

species præbentibus (1) ceterisque ornamentis manifesto apparet. Circa hanc domum nunc dirutam spatium ingens immensæ molis substructionibus innixum et æquatum quoquoversus extendebatur. In excelsiore denique clivo tertia areola eadem arte complanata patebat, unde, quasi e specula, pulcherrimus erat longe lateque prospectus. Quam a pluribus duodevicesimi sæculi investigatoribus notatam et descriptam (2) frustra quæsivimus : nullum nunc vestigium exstat.

Quod si ad hæc omnia, ut nihil in hac villa desideretur, quattuor fontes ante ipsum domus vestibulum scatentes, quadratamque cisternam et conchas ubique dispositas, in quas duplex aquæductus (cujus vestigia juxta viam nunc *strada di Quintigliolo* dictam adhuc conspiciuntur) Anienem et aquam Marciam derivabat, adjicies, jam pro certo habebis Quintilium Varum omnibus in suburbano suo copiis circumfluxisse. Nec ruris tantum, sed et ingenii voluptatibus ille fruebatur. Etenim suspicari libet eum in Tiburtino, sicut Romæ, poetas ascivisse, apud quos carmina recitantes optimi judicis munia obibat. Quibus poeticis conventibus sæpe ipsum Horatium interfuisse certum est, cum ille amicos et sodales, inter quos Quintilius Varus præcipuum locum habebat,

(1) Ii nunc lapides nomen habent *Breccia di Tivoli,* non quod ex illius regionis solo passim excidantur, sed quod vis eorum ingens et in unum aggerata semel in Quintilii Vari villa reperta est.

(2) Inter quos Volpius numerandus est, *op. cit.*, lib. XVIII.

visurus et in eorum villis secessurus Tibur frequentaret.

Nunc vero, ubi vineta erant, facilesque versus Chloen aut Lydiam laudantes recitabantur, solemnes novi cultus cærimoniæ celebrantur; in Quintilii Vari villæ locum ædicula Beatæ Virginis, cui *Madonna del Quintigliolo* nomen est, substituta conspicitur.

CAPUT VII.

DE VILLA QUÆ HORATIANA DICITUR.

Quod inter cetera a rusticantibus Romanis frequentata municipia Tibur venustissimum fuisse videtur, atque etiam nunc ab unoquoque, vel locorum ignaro, præcipue diligitur, nonne totum muneris hoc est Horatii? Haud equidem scio an reipsa alii ejusdem ætatis poetæ

> Claram Rhodon aut Mytilenen
> Aut Epheson, bimarisve Corinthi
> Mœnia, vel Baccho Thebas, vel Apolline Delphos
> Insignes, aut Thessala Tempe (1)

carmine perpetuo laudaverint, sed constat unum ex omnibus Romanis Horatium Tiburis amœnitates decore et pro merito unquam cecinisse. Minoris enim mercenariæ laudes æstimandæ sunt quibus posteriore ætate Statius, ficta admiratione permotus, *Tiburtinum* Manlii Vopisci, ut paulo post pariter *Surrentinum* Pollii Felicis extulit. Immo contra, sese eximie

(1) *Carm.*, I, VII, 1-5.

et sincere hanc regionem diligere et terris magis omnibus unam colere profitebatur Horatius, cum versibus circa Anienis ripas fictis Tibur libens sæpius celebraret, sibique jam senescenti ac terrestribus maritimisque et militaribus itineribus lasso sedem ibi seponere exoptaret.

Ex omnibus illis carminibus poetam præcipue Tiburi indulsisse, ibique otium sæpius contulisse declarantibus, plurimi scriptores hoc cogere voluerunt, proprium fuisse Horatio Tiburtinum. Quod quidem ita omnium animis jam primo post C. N. sæculo insitum erat, ut ad visendam poetæ villam undique concurreretur, eamque tum, ut nunc quoque, circa Tiburni luculum *custodes* ostenderent (1).

Scilicet non procul a villa Quintilii Vari, qua locus est *S. Antonio* dictus, quaque Anio jam urbem transgressus, et de alta rupe præcipitatus, semiorbem circumscribit, et ad agrum romanum profluere incipit, nonnulla conspiciuntur antiqui cujusdam ædificii colli acclinis rudera. Quæ, licet ex informibus parietum tractibus nunc tantummodo constent et in recentioris ecclesiæ substructionibus pæne absumpta jaceant, testantur tamen villam romanam ibi olim exstitisse. Nempe fornices, iis simillimi qui in ceteris villis reperiuntur, passim apparent, ad triplicem aream totamque parietum fabricam sustentandas

(1) « Vixit plurimum in secessu ruris sui Sabini aut Tiburtini, *domusque ejus ostenditur circa Tiburni luculum*, » ait perantiquus *Horatii vitæ* scriptor, quem Suetonium fuisse plurimi putant.

excitati. Firmissima quidem substructionis opera, cum collis ibi præruptus sit, fluvioque domus ex altissimo loco dependeat. Unde fit quoque ut hinc pulcherrimus esset longe lateque despectus.

Cur autem in eo potissimum loco Horatii villam exstitisse constantissima fama a Suetonii temporibus usque ad nostram ætatem tradita referat (1), nec satis video, nec quisquam probabilem causam opponere curavit. Satis fuit, ut ea inveteraret opinio, hunc situm ad ipsa Horatii prædium describentis verba plus minus accommodari, et ex altissima earum ruinarum area omnes celebratos a poeta locos conspici potuisse. Fatendum est enim non aliunde melius Tiburis nemus et ripas, ad quas scalarum gradus passim adhuc exstantes ex altissima villæ area ducebant, et præcipitem Anienem, resonantisque Albuneæ domum et pomaria discurrentibus rivis irrigua uno in conspectu terminari. Quid vero? Nullum ne situm optime describere et versibus celebrare poeta poterit nisi e sua ipsius villa despiciat? Credendum igitur foret Horatium non in Tiburti solum, sed in Prænestino quoque et Tusculano et Tarentino rure, ut nonnulli putave-

(1) Soli D. de Sanctis et P. Ligorio a ceterorum opinione abhorrent; quorum alter Horatii villam in ipsa urbe prope rotundum templum fuisse autumavit (« *quell' angusta valletta sopra di cui da una parte si vede il tempio della Sibilla, e dall' altra meno elevata, dove ora sono le Monache de S. Michele, fu probabilmente la casa dall' autor della vita d'Orazio indicata* »). Alter vero ejusdem villæ situm in hoc loco, ubi nunc episcopalis ecclesia conspicitur, se reperisse asseveravit. Sed neuter rem argumentis collegit; ne falsam quidem inscriptionem P. Ligorio, ut ei mos erat, in lapide ullo incidit.

runt, prædia possedisse, cum ea loca inhabitaverit poeta et laudibus extulerit. Nec firmius argumentum e dubia inter loca nunc Horatii villæ assignata ipsumque a poeta descriptum rus similitudine ductum. Nempe ut *vicinus jugis aquæ fons* unus et idem atque Anio existimatus, *continuique montes* collibus *S. Angelo et degli Reali* (1), assimulati omittantur, quomodo ruinæ, de quibus nunc agitur, amplissimumque ibi olim exstitisse ædificium testantes, cum Horatii villa, quam e pluribus ipsius poetæ testimoniis permodicam fuisse liquet, conferri possunt? Sed quid plura de omnibus istis eo inanioribus disputatiunculis, quod non quonam in situ Horatius Tiburtinum, sed omnino num Tiburtinum habuerit, anquirendum sit.

Horatius, cum prædium a Mæcenate datum in Carminibus et Sermonibus sæpe celebrat, tria et

(1) « Jam vero in hortis ad D. Antonii ædem, in Suburbiis Tiburis, mente consistamus, ait Volpius (*Vetus Latium*, l. XVIII, c. 8) obtutumque ad orientalem solis plagam convertamus. Ecce tibi *continui montes*, nempe *il monte di S. Angelo, monte delle Crocci*, e. q. s., usque ad viam Valeriam, modo *delli Reali*, ubi vallis aperitur opaca, utpote nemorosis umbris in ripis Anienis consita, et usque ad D. Antonii, ipsumque Horatianæ villæ situm ; igitur : *continui montes, nisi dissocientur opaca valle.* » — Contra optime his verbis disserit D. de Sanctis : « *Valle* altro non è, secondo Festo, che un piano racchiuso da monti da due soli lati, gli uni a fronte degli altri, giacche qualora da tutti i lati vien circondato *convalle* propriamente si appella. La valle di Orazio, che egli chiama *declive*, non altro esser doveva, che *una pianura in pendio posta nel mezzo o di due lunghe catene, o di una corona di monti.* Questo voglion propriamente significare quelle parole di Orazio con cui la descrive : « *Continui montes, nisi dissocientur opaca valle.* » Vide *Della villa di Orazio Flacco*, p. 30 et seqq.

eadem semper commemorare gaudet : scilicet villam modicam esse, et unicam, et in Sabina regione sitam :

> « ... Nec potentem amicum
> Largiora flagito
> Satis beatus *unicis Sabinis* (1). »
> « — Cur valle permutem *Sabina*
> Divitias operosiores ? (2). »

Rudera autem S. Antonii ædiculæ supposita, circumjacentesque locos plurimum a villæ Horatianæ natura et simplicitate abhorrere jam supra diximus. Nunc vero, cum iisdem carminibus doceamur unicum et Sabinum fuisse poetæ fundum, vix intelligi potest alios duplicem villam, Sabinam alteram, alteram Tiburtinam, Horatio assignavisse, alios unicam quidem fuisse, sed prope Anienis ripas sitam contendisse.

Inter illos, F. del Re et A. Cabral exaudiamus poetam, licet largiora non flagitantem, duobus villis donare nitentes (3). Qui minime ipsis, quæ scripta sunt, verbis serviendum adfirmant. Scilicet, aiunt, sese *unicis* beatum esse *Sabinis* poeta professus est quia iis præcipue indulgebat, non autem quia altera habitatione egebat ; nonne enim domum habebat Romæ? Quæ cum taceretur, Tiburtinum quoque optime silentio prætermissum est. — Quomodo autem id fieri posset, cum Tibur tam eximie diligeret poeta et tam

(1) *Carm.*, II, XVIII, 12-15.

(2) *Carm.*, III, I, 47-48.

(3) *Delle ville e de' piu notabili monumenti antichi della città e del territorio di Tivoli*, p. 91 et seqq.

frequenter celebraret? Nonne villam in hac regione tot et tantis amœnitatibus abundante se possidere iterum atque iterum jactavisset Horatius? Quod autem ad romanam domum Sabinæ villæ collatam attinet, cum nulla sit inter agrestem, de qua nunc agitur, et urbanam habitationem congruentia, rem ad probandum infirmissimam prætereamus.

Quid autem de iisdem judicandum scriptoribus qui, ut nos de Tiburtino Horatii certiores faciant, asserunt ideo poetam Sabina unice celebravisse, quod ibi et humus congesticia, et fructiferæ arbores, et felicissimæ fruges abundarent; Tiburtinum vero, utpote exiguum et sterile permulcendisque oculis tantummodo idoneum, sponte neglexisse. Horatius igitur, si ita se res habet, non jam lyricis vatibus, sed rei rusticæ scriptoribus inserendus est, cum ea demum quæ ad utilitatem vitæ spectant carmine digna putaverit, præterea que valde miserabilis existimandus, cum solus prædium infelix habuerit in ea regione quam ex tot auctorum testimoniis summa omnium rerum abundantia opulentissimam fuisse constat. Sed tam attentum quæsitis Horatium fuisse procul a vero est : quem fundo non propter agri ubertatem, sed propter locorum amœnitates beatum exstitisse et laudes testantur quibus Sabinam regionem, licet Tiburtinæ cedentem, poeta prosequitur, et carmina, et scripta ad Quintium epistula, in qua Horatius non arvo segetibus erum pascente, nec felici olivarum proventu, nec pomis pratisve aut vitibus gaudet gloriaturque, sed opaca

valle, arboribus umbram præbentibus, frigidiore rivo, dulcibus latebris, ceterisque generis ejusdem amœnitatibus, quarum gratia Tarentum propius in Sabinos montes adductum fuisse et in poetæ prædio frondere videtur (1). Item, sola locorum voluptate allectus, minime vero pomorum vinique cupidus, et vites et pomaria et mite solum Tiburis cecinit Horatius. Nec dubium est quin idem ille fundi, si quem juxta Anienis ripas habuisset, non modo mentionem facere, sed etiam et formam et situm, simul atque totius regionis delicias, ad alterum quemdam Quintium perscribere studuisset. Quod vero cum in Carminibus Epistulisque et Sermonibus sileatur, unam in Sabina villam Horatio contigisse certissime colligendum est.

At nonne fieri potest ut fundus ille, quem unicum possedisse Horatius ipse profitetur, non in Sabina revera fuerit, sed in Tiburti? Utraque scilicet regio prope Tibur terminabatur : Anio uni initium, alteri finis erat. Quo sæpius evenit ut villæ in dextra fluvii ripa sitæ modo Tiburtinæ, modo Sabinæ appellatæ fuerint. Sic Catullus moleste ferebat villam suam, licet a Tibure mille tantummodo passus distantem, ab inimicis Sabinam dictitari :

«O Funde noster, seu *Sabine*, seu *Tiburs*,
Nam te esse *Tiburtem* autumant quibus non est
Cordi Catullum lædere; at quibus cordi est,
Quovis *Sabinum* pignore esse contendunt (2). »

(1) *Epist.*, I, xvi.
(2) XLIV.

Sunt qui putent Horatii villam, Catulli fundo proximam, ejusdem modi esse, eamque Sabinam ab aliis appellatam fuisse, utpote dextræ Anienis ripæ appositam et in Sabino agro inclusam, ab aliis vero Tiburtinam, utpote circa solum Tiburis sitam. Unde facilius intelligitur Horatianæ vitæ auctorem scripsisse : « Vixit plurimum in secessu ruris sui *Sabini aut Tiburtini* (1). » E quibus verbis plures colligunt poetæ villam utriusque regionis fines attigisse, sed reipsa in Tiburti fuisse, ut sequentia hæc ejusdem scriptoris verba videntur demonstrare : « domusque ejus ostenditur *circa Tiburni luculum.* »

Quod testimonium, minime quidem ambiguum (2), eo magis prima specie spectandum videtur, quod si minus a Suetonio, at certe ab auctore allatum sit, qui eximio dicendi genere et concinna orationis brevitate, optimus scriptor et valde antiquus existimari potest (3). Sed magis antiquus est Horatius certiusque

(1) Reifferscheid, *Suetonii Reliquiæ*, caput I, p. 387.

(2) Ea tamen verba male interpretatur D. de Sanctis eo ferme modo : vixit plurimum in secessu ruris sui ad Digentiam; Tibure autem domus ejus ostenditur circa Tiburni luculum. *Orazio visse gran tempo nella sua villa di Licenza, ed una casa sua si addita ancora presso il boschetto sacro a Tiburno. — Loc. cit.*, p. 29). Quod nullo modo accipi potest, cum Horatio unicam villam fuisse pro certo habeamus.

(3) Reifferscheid, *loc. cit.*, caput I, p. 387. Suetonii nomen in Horatii vita neque in inscriptione neque in subscriptione comparet. Sed eam ex Suetonii libro receptam fuisse testis est Porphyrio (*in Horat.*, *Epist.*, II, I, 1). « Apparet hunc librum (quartum scilicet *Carminum* librum) hortatu Cæsaris scriptum fuisse, *cujus rei etiam Suetonius testis est.* » At non ab ipso Suetonio integre scriptam Horatii vitam habemus, sed ab aliquo scriptore recensitam, cujus interpolatricem manum in duobus locis, ad nostram thesim minime pertinentibus, viri docti deprehenderunt.

illius testimonium. A quo ita accurate prædium descriptum fuit, et tam perseveranter in Sabina positum, ut illud non juxta Anienis ripas, ubi nec continui montes opaca valle dissociati, nec fons rivo dare nomen idoneus reperiuntur, sed in arduis Sabinæ montibus omnino quæri possit. Neque Horatii verba doctos homines integro ac libero animo loca investigantes nostris temporibus fefellere : quippe qui pluribus indiciis poetæ villam non in suburbano Tiburis rure, sed undecimo circiter ultra urbem milliario recognoverint, juxta *Vicovaro*, olim *Variam*, et *monte del Corgnaleto*, olim *Lucretilem*, in eoque loco qui *colle del Poetello* dictus, Horatii et arcis simul admonere videtur, in quam sese poeta ex Urbe sæpius removebat. E quo apparet Horatii villam, longe a Catilli mœnibus distantem, neque in Tiburti fuisse, neque, ut Catulli fundus, in ea Sabinæ parte quæ Tiburtinæ regioni adjacet.

Cur autem *Horatianæ vitæ* scriptor poetæ villam et Sabinam et Tiburtinam simul appellaverit statim intelliges, modo tibi libuerit opinari Suetonii temporibus multas profecto fabulas de magnis viris enarratas esse, Tiburisque cives, cum sese Horatii carminibus urbis delicias celebrantibus jactarent, vati domum adjudicandi consilium facile iniisse, eamque advenis temere assentientibus ostendere gloriatos fuisse (1).

(1) Adde quod eadem ætate priscæ regionum divisiones ita obsoleverant ut territorium tiburtinum modo Sabinum diceretur (Plin., *H. N.*, III, XVII, 2), modo ultra Æquorum fines Sublaqueumque porrigi, et

Hanc autem domum *Sabinam aut Tiburtinam* ideo appellavit scriptor, quod inter poetam prædium in Sabina fuisse dictitantem, et villam eidem in Tiburtino agro attributam juxtaque Anienem sese oculis offerentem dubius, omnia conciliare se putaverit his verbis « *Sabina aut Tiburtina*, » id est : Horatii villa Sabina aut Tiburtina, utpote utriusque regionis male delimitatæ contermina, æque dici potest.

Nunc vero, quoniam quid de ea re sit tenemus, non profiteri cunctabimur Tibur sæpissime frequentatum fuisse ab Horatio. Qui quam bene hanc regionem cognoverit, et quam præcipue dilexerit ipsa testantur Carmina, in quibus Tibur ita describit et celebrat poeta, ut ipsum Tarentum posthabeat, flumenque Galæsi et regnata Phalanti rura nunquam, nisi a Tibure prohibitus, sit petiturus. Immo, eadem Carmina in hoc suburbano composita fuisse comperimus. Nos enim Porphyrio docet Horatium Tiburi fere otium suum contulisse, ibique Carmina conscripsisse (1). Tum vero, non in sua domo habitabat poeta, sed in conducto, vel potius in aliqua amicorum villa. Nonne enim Munatius Plancus, cui Tiburtinum erat, Horatium sæpius hospitio accipere debuit, cum ipse ab eodem carmen in Tiburtinæ regionis honorem scriptum acciperet (2)? Nonne et Mæcenas, et Quintilius

Variam circumjacentesque locos amplecti existimaretur (Tacit., *Ann.*, XIV, XXII).

(1) « Tiburi otium suum fere conferebat, ibique Carmina conscribebat. »

(2) *Carm.*, I, VII.

Varus, Pisonesque et Lollii, cum in Tiburtinis suis rusticarentur, poetam amicum et sodalem tam dulcia de locis circumjacentibus carmina recitaturum sæpius invitare et retinere solebant, sicut nostras Delille, superiore ætate, in plurima Galliæ prædia arcessebatur, versus omnimodos, ex audientium sententia, facturus recitaturusque. Mihi Horatium videre videor ex arduis Sabinæ montibus villaque descendentem, et viæ Valeriæ ad Tiburtinum agrum ferenti insistentem. Qui, dum ripas Anienis viæ adfluentis legit, animo cogitat errabundus, et

« ..... Apis Matinæ
More modoque,
Grata carpentis thyma per laborem
Plurimum, circa nemus, uvidique
Tiburis ripas, operosa parvus
Carmina *fingit* (1). »

Quæ quia scripsit carmina Horatius, idcirco villam in Tiburti, quam a Mæcenate vivus non acceperat, post mortem a fabularum fictoribus accepit; atque nunc ita arcte poetæ nomen cum amœnissimæ illius regionis nomine conjunctum est, ut quodam modo totum Tibur *Horatianum* dici queat.

(1) *Carm.*, IV, II, 27-33.

CAPUT VIII.

DE VILLA CYNTHIÆ.

Narrat Propertius sese nocte quadam Cynthiæ epistulam accepisse jubentis amantem Tibure sine mora adesse (1). Cum vero hoc noctis minime tuta esset via Tiburtina, diversus agitabatur poeta, et inter amorem metumque dubius, animi pendebat. Sæviores denique irascentis dominæ quam insidiatorum manus visæ sunt, et viam iniit Propertius sperans Amorem accensas faces ad ministrandum iter ante quassurum, et Cynthiam utique, si quid misero humanitus accidisset, custodem ad busta sessuram sertisque sepulcrum ornaturam. Nullo autem periculo infestatus viator, feliciter, Venere comitante astrisque salebras demonstrantibus, ad Tiburtinum pervenit,

> Candida qua geminas ostendunt culmina turres,
> Et cadit in patulos lympha Aniena lacus (2).

Eamdem vero viam frequenter iisse et rediisse Pro-

(1) III, xvi.
(2) *Ibid.*, 3-4.

pertium libenter suspicari libet. Ibi enim et Augustum inventurus erat poeta, in cujus ad Actium victoris nomen duxit carmina, et Mæcenatem cui per Horatium innotuerat, cuique proximus in Esquilina regione Romæ habitabat (1), et Gallum amicum Anienis ripas sæpius accolentem (2), præsertimque Hostiam, Hostii docti neptis (3), quæ, vero nomine dissimulato, Cynthiaque appellata, villam in Tiburti habebat.

Huc igitur Propertius non semel venire debuit, cum amicæ « quinque potuerit servire fideliter annos, » cumque Cynthiam Roma et suburana domo parum libenter usam sæpius « in herculeum portarent esseda Tibur (4). » Poetæ enim domina, etsi loco stare nescia per urbes et vias et rura semper concursaret, modo Ariciæ nemus Triviamque deam accensis tædis petens, aut dubias Prænestinæ Fortunæ sortes adiens (5), modo Tusculum, Lanuvium, Baias detonsis mannis canibusque armillatis et scortatoribus depilatis comitantibus avecta (6), Tibur tamen ita egregie præter cetera diligebat, ut ibi et villam viva sæpius habitatam, et mortua sepulcrum

(1) III, XXIII, 23 :

« I, puer, et citus hæc aliqua propone columna;
Et dominum Esquiliis scribe habitare tuum. »

(2) I, XX, 8. Hominem moribus dissolutissimum cujus in puellæ sinu jacentis ardoribus poeta, pro pudor, testis adfuerat (I, X).

(3) III, XX, 8 :

« Est tibi forma potens, sunt castæ Palladis artes,
Splendidaque a docto fama refulget avo. »

(4) II, XXXII, 5.

(5) *Ibid.*

(6) I, XI, 1; II, XXXII, 6; IV, VIII, 15. Cf. II, 19.

habuerit juxta Anienis ripas, ex ipsius voluntate his verbis significata, conditum :

« Pomosis Anio qua spumifer incubat arvis,
Et nunquam herculeo numine pallet ebur,
Hic carmen media dignum me scribe columna,
Sed breve, quod currens vector ab urbe legat :
Hic Tiburtina jacet aurea Cynthia terra ;
Accessit ripæ laus, Aniene, tuæ (1). »

In Tiburte scilicet cultiores viros et elegantes litteratorum cœtus invenire et ambire poterat Hostia quæ, si minus eximia morum probitate, at certe omnibus naturæ artisque dotibus adeo ornata erat ut (modo amantissimo poetæ fides omnino adhibenda sit), Aganippides cantu, scriptis Erinnam Corinnamque superaret (2).

Cui ex propinquo facillimus fuisse videtur cum hominibus eruditis congressus. Quippe quæ domum in dextra Anienis ripa, inter fundum quem habitaverat Catullus et Quintilii Vari villam sæpius ab Horatio Virgilioque frequentatam, haberet. Unde fit ut poetis Aristarchum operumque emendatorem Varum adeuntibus præter Propertii amicæ prædium transeundum esset. Immo, ita Cynthiæ domus hortique vinetis structurisque Vari adfines erant, ut prima specie unum et idem ædificium ibi exstitisse videatur. Re autem explorata ac ruinarum dispositione naturaque perspectis, constat duarum hic vestigia superesse villarum,

(1) IV, vii, 81-87.
(2) II, iii, 21-22.

quæ tempore quidem congruebant, sed magnitudine (ut ex utriusque circuitu judicare licet) situque inter se dissimiles erant. Minor enim Cynthiæ villa duabusque tantummodo areis, altera infra alteram, complanata, recentiorique viæ et villæ, quæ falso Horatiana dicitur, superposita, inter meridiem et occidentem porrigebatur, nec Romam, ut Vari domus, spectabat, sed Tibur. Ea igitur subjectos lacus supereminebat, qui ex Aniene de alta rupe in profundam convallem præcipitato orti collem cui urbs imposita est, et montes quibus Vari Catillique et Cynthiæ villæ applicatæ erant, interpatent.

Quo autem loco turres *candida culmina* ostendentes surrigerent, quove continerentur monumento parum liquet. Ambigui enim Propertii versus duos sensus significare possunt, sive poeta voluerit his verbis

Candida qua geminas ostendunt culmina turres,
Et cadit in patulos lympha Aniena lacus

Tibur generaliter tantummodo definire, et nomen urbis ea elocutione assumpta circumscribere, sive amicæ villæ situm diligentius designare studuerit. Hac autem exactioris descriptionis conjectura admissa, nondum exploratum est utrum eæ turres ex ipsa Cynthiæ villa constarent, an Tiburtino colli impositæ eidem villæ ita objectæ forent, ut a Propertio amicæ domum incolente simul atque patuli lacus ex adverso aspectari et una indicari possent. Quas, si ita se res habuerit, iis locis surrexisse verisimile est, ubi nunc episcopalis ecclesia

conspicitur, cujus *campanile* turris antiquæ, quam forsan intelligi vult poeta, substructionibus impositum fuit. Sin autem eædem turres ipsa Cynthiæ villa continerentur, — quod quidem optime fieri posse testatur Plinius, in cujus Laurentino duæ pariter turres erigebantur, latissimum mare, longissimum litus prospicientes (1), — earum situs in utroque septionis anterioris angulo quærendus est, ubi solidioris ampliorisque saxei operis exstant vestigia. Quod ut credam inclinat animus.

Utut vero res fuerit, facile suspicari licet in hanc villam sæpius Cynthiam et Propertium loci opportunitate, amœnissimo ruris fluviique et urbis prospectu, nec non felici domus ipsius dispositione allectos fuisse, in qua hilaria cubicula essent, cryptoporticusque adhuc exstantes et tectorio opere politæ frigus æstate, calorem hieme suppeditarent, diversissimosque ventos frangerent. Immo, mulier elegantissima, cujus miseram luxuriam dolebat Propertius (2), plurima artis miracula in domo cumulata habere gaudebat, sicut ex pulcherrimis lithostroti et statuarum fragmentis apparet, quæ in his locis parum exploratis anno MDCCLXXVIII reperta fuerunt.

Dum ex ipsa Cynthiæ villa pauca tantum septi quadrati vestigia et semirutæ concamerationes supersunt, sepulcrum quod Propertius tuendum ab amica mortua acceperat, mira quadam fortunæ temeritate,

(1) *Ep.*, II, XVII.
(2) I, II, 32.

usque ad nostram ætatem, vetustatis patiens, fere intactum videtur permansisse. Scilicet, secundum semitam viridem, quæ magna olim via fuit, quadrangulum conspicitur monumentum a remotissimis temporibus *sepulcrum Cynthiæ* dictum. Ipsi enim villæ subjacet, et in eo loco situm est quem ipsa delegerat Hostia, juxta Anienem, cujus ripæ, ut ait Propertius, ita laus accessit :

« Accessit ripæ laus, Aniene, tuæ. »

Sed nemo nunc superest qui mortuæ precibus favens heredam tumulum alligantem curet depellere, et carmen quod poeta, amica postulante, media columna scripserat, non jam « currens vector ab urbe legit. » Rursus autem supersunt versus quos tamen ut ad unum ureret Propertius postulaverat Cynthia :

« Et quoscumque meo fecisti nomine versus
Ure mihi : laudes desine habere meas (1). »

Quorum carminum gratia non modo Cynthiæ nomen, sed etiam villæ sepulcrique memoria ac vestigia non periere.

(1) IV, VII, 77-78.

CAPUT IX.(1)

DE VILLA QUÆ VIRGILIANA DICITUR.

Ceteris illustribus poetis qui in Tiburti sæpius versari solebant, sive fundum ipsi, ut Catullus, haberent, sive in amicæ villa, ut Propertius, habitarent, sive denique e circumjacentibus locis, ut Horatius e Sabina, Tibullusque e Pedo urbem hospites devenirent, Virgilium placet adnumerari. Quod adeo non ex ancipiti tantummodo conjectura pendet ut pluribus indiciis comprobatum videatur. Etenim cum peritissimi rei publicæ et litterarum cives Tibur frequentarent, iis eo libentius comes Virgilius accedebat quo familiarius plerisque uteretur. Hunc scilicet dilectissimum et de seligendis amicis semper consultum (1) Mæcenas in villa Tiburtina hospitio recepisse existimandus est; hunc fidum in itineribus comitem Augustus, cum doloris nervorum sanandi aut juris dicendi causa Tibur iret, secum ducere debuit (2). Sed

(1) Horat., *Sat.*, I, vi, 55.

(2) Ferunt Augustum in itineribus Virgilium Horatiumque comites circumducere solitum esse. Cumque Virgilius thoracis arctitudine at-

Virgilium hoc suburbanum frequentavisse ante omnes testari videtur Quintilius Varus. Qui poetam sibi amicissimum conjunctissimumque profecto in villam allexit illoque sæpius potitus est. Nec mirum sane foret Virgilium in hoc potissimum fundo, ubi vites Quintilius, adhortante Horatio, severat, quæ cura, qui cultus viti habendus esset didicisse, et de secundo Georgicorum libro plurimum cogitavisse. At saltem non dubium est quin *Tiburtia mœnia* et *oppidum superbum argivamque juventutem* illam, cujus proavi, fidissimi Turni comites, cum Trojanis pugnantes in Æneide inducti sunt, poeta ipse præsens inviserit. Atque etiam fieri potest ut Propertio

Nescio quid magis nascitur Iliade

scribenti commodum in Vari Tiburtino Virgilium magnum opus meditantem et fragmenta recitantem videre atque audire contigerit. Quippe qui, ut supra diximus, Cynthiæ villam vinetis Quintilii Vari continentem habitaret.

Crebras igitur in Tiburti mansiones Virgilium fecisse propius est fidem. Hoc autem ita facile nonnulli superioribus sæculis accepere ut, ne ulla quidem earum, quas attulimus, causa allata, poetam in hac

que animæ difficultate laborans crebra ex imo pectore suspiria prodere cogeretur, Horatius vero lippis et defluentibus oculis laboraret, princeps, ut continuam utriusque infirmitatem significaret, sese *inter suspiria et lacrimas* vivere per jocum dolebat (Vide Volpium, *Vetus Latium*, lib. XVIII).

regione non modo aliquando versatum fuisse, sed proprium etiam habuisse fundum arbitrarentur (1). Vetus scilicet codex circa Salutis annum CMXLV scriptus, et a F. Ughellio relatus, *fundum Virgilianum in territorio Tiburtino* memorat. Cujus documenti satis fuit quare Virgilius villæ tiburtinæ dominus exstitisse putaretur; et jam ex illo tempore poetæ villa circa Tiburis mœnia perquiri cœpit.

Sed dum ceteri hujus regionis loci plerorumque Romanorum qui ibi rusticati erant nomina retinebant, sola Virgilii, omnium illustrissimi, memoria nullis ruderibus adhærere videbatur..... nisi forte *Vitrianum* a *Virgiliano* inclinatum jure creditum fuerit. Ita scilicet denominatus est locus campestris Quintilii Vari villæ subjacens Romamque versus exporrectus. Hic ruderibus ignotæ cujusdam villæ repertis (2), placuit loci vocabulum in civis romani nomen convertere, *Virgiliano*que rursus a *Vitriano* parum parce detorto, quemdam reperire in hoc situ præstantissimi poetæ fundum, cujus nemo, ne ipse quidem Ughellius, mentionem ullam fecerat (3).

(1) Sicut et prope Nolam prædium eumdem habuisse nos docet A. Gellius (*Noct. Att.*, VII, xx).

(2) Cujus villæ nihil nunc superest, nisi sparsà et informia operis cæmenticii vestigia. Parietes dilapsi et diversa cubiculorum fragmenta atque ornamenta aut sublata sunt aut destructa. Narrant F. del Re et S. Cabral (*loc. cit.*, Capitolo, II, parte II, § VI) plurima ex effossis marmoribus et pavimentis fracta fuisse ab hujus agri domino qui sese massam auri subter aut introrsus occultam inventurum sperabat.

(3) « Virgile aurait eu une propriété près de Tivoli, s'il est vrai qu'un diplôme tiburtin de l'an 945 fasse mention d'un *fundus Virgilianus* (*quod*

In eo enim Tiburtinorum episcoporum codice supra relato Virgilius quidam profecto commemoratur, Æneidos vero scriptorem designari eo minus constat quo brevior sit illius viri mentio, et quo usitatius apud Romanos hoc nomen fuisse videatur. Ut unum, inter plura, exemplum proferatur, Romæ fuit pistor quidam nomine Virgilius, cognomine Eurysaces, cujus sepulcrum pro una Urbis porta conspicitur. Cui ditissimo, ut ex tumulo magnifice exstructo apparet, facilius quam Virgilio Maroni erat villam in Tiburti possidere. Cur non igitur pistor potius quam poeta Ughellii codice significari existimaretur?

Sed quid plura, cum de re fusius disputata nihil omnino constet. Etenim non liquet *Vitrianum* a *Virgiliano* tractum esse, magnique poetæ fundo codicis auctores allusisse, ullamque denique in his locis Virgilii villam exstitisse. Ceterum, ut vera fateamur, minimam de principio investigatoribus in conjectura rapidioribus auctoritatem et fidem adjungebamus, cum de hac villa ne verbum quidem fecerit ipse Virgilius, neque ex aliquo antiquitatis scriptore lumen ullum nobis adfulgeat.

quidem verissimum est)..., à moins toutefois que ce bien eût appartenu à un autre Virgile, ce qui est bien possible » (*immo verisimillimum*). Ampère, *L'Empire romain à Rome*, I, p. 351, n. 4.

CAPUT X.

DE VILLA LOLLIORUM.

Tibur non poetæ tantum, quibus otia ab Augusto facta amplexari et civilibus muneribus abstinere licebat, frequentaverunt, sed plerique etiam ex iis qui in re publica hac ætate versabantur. Consules scilicet urbisque custodes et præfectos Tibur devenire, ibique a longo honorum cursu, a militaribus excursionibus provinciarumque administratione requiescere juvabat. Nec sola locorum amœnitate illustrissimus quisque civitatis vir in hoc suburbanum evocabatur ; verum enim hic Augustum et Mæcenatem inventurus erat, atque litteratos homines quorum celeberrimi erant cœtus, quique magna tum auctoritate præditi laudes et gloriam carminibus dispensare poterant. Inter quos præcipue appetebatur Horatius. Cui enim cum princeps ipse amicitiam suam ingereret, et sese versibus laudari exoptare ostenderet (1), minime mirum est

(1) Vide Suetonium, *Horatii vita* : «... Neque amicitiam suam ingerere desiit (Augustus). — Nullam sui mentionem habitam ita est questus :

si plerique pace belloque illustres viri vehementer studuerint in illius, qui *Romanæ fidicen lyrae* dicebatur, operibus commemorari. Horatii igitur gratiam M. Lollium, J. Antonium, M. Censorinum aliosque fovisse licet suspicari. Eo autem tempore quo eorum civium, qui nulli, neque ipsi Augusto, negligendi erant, honorifica mentio fiebat in quarto Carminum libro tribus jam vulgatis, principis jussu, addito (1), poeta (ut ex Porphyrionis testimonio quibusdamque ejusdem libri versibus constat) (2), Tiburi otium suum conferebat. Tibur ergo M. Censorinus, J. Antonius, Lolliusque et alii frequentare debuerunt, sive ut cum poeta ipsorum laudes dicturo consuetudines jungerent, sive ut eidem gratias de carminibus dedicatis agerent. Nonnullis etiam Tiburtina erant propria. Inter quos licet numerare Lollium, qui in Germania legatus, deinde consul, ac postremo Augusti nepotis in Oriente rector fuerat, nec non Pisonem, qui Urbi præfectus, et consul, proconsulque in provincia Pamphylia supplicationem ac triumphales honores, Bessis Sialetisque devictis, obtinuerat. His autem

« Irasci me tibi scito, quod non in plerisque ejusmodi scriptis mecum » potissimum loquaris. An vereris, ne apud posteros tibi infame sit, » quod videaris familiaris nobis esse? »

(1) Vide Suetonium, *Horatii vita* : « Scripta quidem ejus (Horatii) usque adeo probavit (Augustus), ut non modo sæculare carmen componendum injunxerit, sed et Vindelicam victoriam Tiberii Drusique privignorum : eumque coegerit propter hoc tribus Carminum libris ex longo intervallo quartum addere. »

(2) « Tiburi enim fere otium suum conferebat, ibique Carmina conscribebat. » — Vide *Carm.*, IV, II, 27-33.

principibus rei publicæ viris parum familiariter utebatur Horatius, cum alteri nullum, alteri autem unum (1) duntaxat miserit carmen. At eumdem utriusque filiis conjunctiorem fuisse testantur epistulæ quibus poeta alios ad bene vivendum, alios ad bene scribendum cohortatur (2).

Ex villa quam Lollii in Tiburti habebant nihil nunc superest. Nec mirum, cum ea in ipso colle Tiburtino exstiterit, ubi recentioris *Tivoli* ædificia pro veteribus omnium generum monumentis supposita antiquum Tibur fere omnino absumpserunt. Frustra enim iis in locis Fori, Senatus, Thermarum, ceterorumque monumentorum, quæ lapides inscripti commemorant (3), vestigia quæras. Ipsa quoque Vopisci villa, omnium Tiburtinorum sane maxima et locupletissima, in mediaque urbe, juxta Anienem, exstructa, tota periit. De magnificis a Statio dilaudatis ædibus (4) vix rari sunt et informes passim parietum

(1) *Carm.*, IV, IX ; Sicut Agrippæ, Asinio Pollioni, Crispo Sallustio, J. Antonio, M. Censorino.

(2) *Epist.*, I, II et XVIII. — De arte poetica, *Epistula ad Pisones.*

(3) Inter quos fragmentum marmoreum indicabimus prope S. Pauli ædem repertum in quo Senatus Tiburtini mentio habetur, et basim hoc titulo thermas memorante decoratam :

FVRIVS MAECIVS
GRACCVS · V · C ·
CORRECTOR FLA
MINIAE ET PICE
NI · ORNATVI
THERMARVM
DEDICAVIT ·

(4) *Silv.*, lib. I, III.

tractus. Similis fuit Lolliorum villæ fortuna, quæ intra oppidi muros, in eoque loco, ubi nunc sacra est *Divæ Mariæ Majoris* ædes, patuisse videtur. Ibi enim et Lolliorum nomen ab antiquis usque ad nostram ætatem traditum, et titulum in ipso ecclesiæ pavimento inclusum reperies, qui, licet nullam ipsius villæ mentionem faciat, tamen ejusmodi est, ut eamdem in his locis exstitisse jure opinemur. Ita scilicet inscriptus lapis legitur :

HIC · LOCVS · VT (?) · MACERIA · IN
CLVSVS · EST · AD · RELIGIONEM
SEPVLTVRAE · LOLLIORVM
ATTICILLIAE · FILIAE · ET · STACTES
VXORIS · ET · M · LOLLI · AMARANTI (1)

Noli existimare hoc titulo sepulcrum tantummodo designari. Nempe si ita se res haberet, non verba *HIC LOCUS*, sed litteræ *D. M.* tumulo insculpta fuissent, nihilque nobis de Lolliorum villa constaret, cum minime liceat ædificii vestigia in iis locis quærere, ubi nihil aliud quam sepulcri titulus superest. Hac autem inscriptione comperimus Lollios ejusque libertos in Tiburti sepultos fuisse, locumque maceria inclusum ac religione consecratum habuisse. Quod quasi *cœmeterium* in hoc rure apparare, tueri et reficere num curavissent Lollii, nisi villam ibidem

(1) Muratori, *Novus Thesaurus veterum inscriptionum*, p. 1684, n° II. Hunc autem titulum non fuisse diligenter et ad verbum transcriptum suspicamur. Cujus enim primum versum Muratori, A. del Re et Volpius non eodem modo legerunt.

possedissent, habitatam a vivis prope sepulturæ locum a mortuis occupatum? Hoc autem Tiburtinum patulosque simul lymphæ Anienæ lacus, quibus villa apposita fuisse videtur, nonne designat Horatius, cum in epistula ad M. Lollii filium natu maximum scripta mentionem facit et *ruris paterni* in quo junior poetæ amicus sæpe nugabatur, et *lacus* mare Hadriaticum simulantis, in quo gemini fratres, naviculas inter se pugnantes partiti, prœlium Actiacum imitatione repræsentabant (1). Nisi forte eadem naumachia exhibita fuerit in quattuor amplissimis ejusdem villæ piscinis quæ Volpii temporibus adhuc exstabant, quæque, in unum conjunctæ, commodissimum lintribus administrandis lacum præbere poterant (2).

Quam vero ampla fuerit et locuples hæc villa in opportunissimo Tiburis ipsius situ posita, facile animo concipi potest, modo meminerimus M. Lollium provincias diu prædatum regumque muneribus in toto Oriente infamatum ita divitiis circumfluxisse (3), ut neptem ejus, Lolliam Paulinam, Plinius viderit opertam smaragdis margaritisque toto capite, crinium spira, auribus, digitis, collo fulgentibus : quæ summa qua-

(1) *Epist.*, I, xviii, 70-75 :

« Interdum nugaris rure paterno.
Partitur lintres exercitus; Actia pugna,
Te duce, per pueros hostili more refertur;
Adversarius est frater; lacus, Hadria; donec
Alterutrum velox Victoria fronde coronet. »

(2) Volp., *Vetus Latium*, XVIII, x, p. 368.

(3) Plin., *H. N.*, IX, lviii, 2. Cf. Vell. Paterc., II, 97 : « M. Lollio, homine in omnia pecuniæ quam recte faciendi cupidiore. »

dringenties H. S. colligebat (1). Quod si ad mediocrium sponsalium cenam tot sestertiis onerata una muliercula veniret, nunc computet aliquis quam vasta et magnifica tota ejusdem gentis villa Tiburtina esse debuerit!

(1) *H. N.*, IX, LVIII, 1. De Lollia Paulina confer. Suet., *Caligula*, XXV; Tac., *Ann.*, XII, I, 22.

CAPUT XI.

DE VILLIS PISONUM ET MUNATII PLANCI.

Non procul a Lolliorum villa, sed extra oppidi portas, et prope viam dictam *de' Pisonetti* Pisonum prædia erant. Scilicet in summa Tiburtini collis planitie et per ejusdem declive, occidentali meridianaque regione, Romam Tusculumque versus, plurimas antiquitus villas surrexisse jam supra diximus. Quas inter, prædium, quod C. Cassii fuisse nonnulli putavere, apparet, immensis substructionum ruderibus adhuc conspicuum. Paulo infra, per oliveta viam Tiburtinam versus descendentibus, locus haud ita dissimilis collique acclivis occurrit, in quo non obscura visuntur veteris villæ vestigia, quique a summa memoria *olivetum in Pisonis* denominatus est. In pretioso bibliothecæ *Barberinorum* codice, quem a F. Ughellio post C. N. anno circiter CMXLV scriptum supra retulimus, inter multa episcoporum Tiburtina *Pisonianum* prædium memoratur (1), et nostra adhuc

(1) Ms. 2305.

ætate, haud ita pridem, sacellum iisdem in locis erat, ex veteri vocabulo corrupte derivato *Sancta Maria in Pisona* appellatum.

Quæ cum ita sint, jure asseverare licet Pisones villam habuisse in Tiburti, præsertim cum argumentis nequaquam firmioribus de ejusdem gentis Herculanensi domo novissime confirmatum fuisse videatur. Etenim demonstravit doctissimus Comparetti (1) villam, in qua Philodemi bibliotheca reperta est, L. Calpurnii Pisonis Cæsonini fuisse, ad cujus nepotes didascalicum de arte scribendi poema misit Horatius. Quod si ita argumentatur Comparetti : villa est Herculanensis quæ tres et quadraginta Philodemi libros continebat; cum illo autem Philodemo, qui, utpote Græculus esuriens, propriam domum non habebat, semper vivere solebat Calpurnius Piso; ea igitur domus Calpurnii Pisonis erat, qui solus inter Ciceronianæ ætatis homines istius parum noti philosophi opera collegisse potuit...; nonne et nobis ita disputare licet : in Tiburtino rure locus est qui jam inde antiquitus dicitur Pisonianus; in hoc autem loco villa erat cujus rudera adhuc conspiciuntur; ibidem igitur villam Pisones habebant? Quod insuper aliis comprobari potest rationibus, quas similes de Herculanensi domo attulit Comparetti. Constat scilicet L. Calpurnium Pisonem, post transitum a Cæsare genero Rubiconem (2), ac deinde post dictatoris mor-

(1) *La villa de' Pisoni in Ercolano e la sua Bibliotheca.* Napoli, MDCCCLXXIX.

(2) Cicero, *Epistulæ ad diversos*, XIV, 14; *Philip.*, I, IV.

tem ab Urbe discessisse. Quem Herculaneum petiisse arbitratur Comparetti. Nonne vero et nobis æquo jure licet suspicari eumdem in Tiburtinam potius quam in Herculanensem domum sese recepisse, præsertim cum de illa multo simus certiores, et nulla a medio ævo usque ad nostram ætatem controversia exstiterit? Volpii enim temporibus permulti erant qui hæc prædia dicebant primum a L. Pisone Frugi comparata esse atque exculta; qui inde Frugi cognomen adeptus fuerit, quia colendis frugibus rure suo Tiburtino fere unice attentus vixerit. Ipse putat Volpius Horatium in Tiburti epistulam de Arte poetica scripsisse, eamque ad Pisones, quos in eadem rusticatione versatos sæpe videbat poeta, composuisse. Quod quidem nec adfirmari potest, nec refelli. — Satis habeamus Pisones Tiburis amatoribus et incolis adnumerare, eorumque villæ situm ac fabricas explorate recognoscere.

Quæ quidem villa, ut e ruderibus passim adhuc exstantibus, plurimisque ibi effossis marmoribus colligendum est, ita spatiosa erat, ut non unam, sed duas, vel etiam tres contiguas et superpositas domos his in locis exstitisse libenter existimem, et adeo opulenta, divitiisque referta ut *nova illa atque inaudita* luxuries, nec non *immensa et intolerabilis ædificatio*, cujus Calpurnium Pisonem Cicero condemnabat (1), ante oculos ipsa apparere videatur. Compluribus enim areis, quarum substructiones adhuc aspiciuntur, a

(1) Cicero, *Oratio in L. Calpurnium Pisonem*, XXI; cf. XXVII.

medio colle usque ad imam planitiem distincta erat et æquata Pisonum villa, ac quinque amplissimis et ornatissimis fontibus irrigua, qui a Pirro Ligorio vestigante quondam detecti nunc rursus terrarum lapsu obruti sunt. In eodem quoque prædio, sicut in locupletissima Herculanensi domo quam Calpurnii Pisonis fuisse censuit Comparetti, omnium generum marmora, statuæ et anaglypta, diversis temporibus reperta sunt, et alia profecto in posterum reperientur. Eorum vero marmorum quæ jam solo eruta fuere maxima pars in Hispaniam superiore sæculo translata sunt. Ex Pisoniano scilicet oliveto sedecim philosophorum poetarumque græcorum capita veniunt quæ, ab Hispaniæ legato anno MDCCLXXVIII effossa, in Madrilensi museo nunc conspiciuntur. Haud equidem scio an simul atque ii hermæ caput illius senis repertum fuerit quod toties ab antiquis expressum Senecæ faciem exhibere permulti arbitrantur, quod vero in Philodemi bibliotheca quoque repertum doctissimus Comparetti ipsum L. Calpurnium Pisonem, qualem Cicero verbis depinxit (1), effingere asseverat. Quod si ita se res haberet, et nobis de Tiburtina Pisonum villa jam certioribus liceret hoc caput quasi in argumentum advocare, et arbitrari Pisonis fuisse prædium illud in quo Pisonis effigies erat. Sed quid pluribus verbis aut rationibus opus est, cum res satis jam comperta videatur, et ipsa loca veteris domini memoriam retineant, Pisonumque gentis nomen resonent ?

(1) *In Pisonem*, XXVIII.

Pisonibus per adfinitatem connexi erant Munatii. Nempe Munatia Plancina, L. Munatii Planci filia aut neptis, Cn. Pisoni, quem Syriæ præfecit Tiberius, nupserat. Atque eo arctior utriusque gentis cognatio fuit quo plura erant inter parentes, Calpurnium videlicet Pisonem et L. Munatium Plancum, communia; quippe qui ad rem publicam eodem tempore accesserint, similemque honorum cursum tenuerint, et una denique otia Tiburi contulerint. Scilicet Calpurnius Piso, Cn. Pisonis pater, quamvis resurgentibus in Africa partibus adversus Cæsarem auxiliatus fuisset Brutoque et Cassio favisset, consulatum nihilominus ab Augusto delatum anno DCCXXXI acceperat (1). — Item, L. Munatius Plancus, Munatiæ Plancinæ pater aut avus, postquam Cæsaris primum, et, mortuo dictatore, Ciceronis omniumque eorum qui liberam rem publicam restituere volebant, ac deinde Octaviani, postea Antonii, et rursus Octaviani, *morbo proditor*, ut ait Velleius Paterculus, partes tenuerat, consulatu censuraque anno post ipsum Calpurnii Pisonis consulatum (DCCXXXII) honoratus ab Augusto fuerat et inter principes ejus ætatis viros habitus. Idem septemvir epulonum, ut ex notissima Caietani sepulcri inscriptione comperimus (2), at-

(1) Tac., *Ann.*, II, 43.

(2) L · MVNATIVS · L · F · L · N · L · PRON ·
PLANCVS · COS · CENS · IMP · ITER · VII · VIR
EPVL · TRIVMPH · EX · RAETIS · AEDEM · SATVRNI
FECIT · DE · MANIBIS · AGROS · DIVISIT · IN · ITALIA
BENEVENTI · IN · GALLIA · COLONIAS · DEDVXIT
LVGDVNVM · ET · RAVRICAM ·

que agrorum Beneventi dividundorum præses fuerat, et imperator frequentes in Galliis victorias et triumphum de Rætis deportaverat, coloniisque extra Italiam deductis, Lugdunum et Rauricam condiderat; de manibiis denique ædem Saturni refecerat (1), ita adulatus Augusto (2), qui principes viros sæpius hortabatur ut pro facultate quisque monumentis Urbem adornaret (3).

Vir ille clarissimus Tiburtino rure, ut Pisones, eo libentius uti solebat, quod ipse Tibure oriundus erat. Acron enim et Porphyrion septimum primi libri carmen, quod L. Munatio Planco misit Horatius, et hæc verba :

seu densa tenebit
Tiburis umbra tui

adnotantes, scribunt : *L. Munatium Plancum Tiburtem seu Tiburtinum.* Quod quidem pluribus inscriptis lapidibus in solo tiburtino effossis, et Munatiam gentem ejusdemque libertos memorantibus videtur confirmatum. Juxta enim viam Valeriam repertus est titulus extremis rei publicæ aut primis im-

(1) Potiusquam *fecerat*, ut in Caietano titulo legimus; nempe ædes Saturni multo ante L. Munatii Planci ætatem exstructa fuerat.

(2) Ejusdem Planci sententia, Octavianus nomen Augusti assumpsit (Suet., *Augustus*, VII). In altera parte rarissimi cujusdam nomismatis quod eodem tempore a senatu Augusto oblatum est, civica corona conspicitur huic inscriptioni supposita : S. P. Q. R. OB. CIVES. SERVATOS; in altera autem L. Munatii Planci caput cum his verbis : PLANCVS COS.

(3) Suet., *Augustus*, XXIX.

perii temporibus (ut e rationalium litterarum dispositione et cognominis feminæ absentia constat) scriptus ac tiburtino lapidi insculptus, quo docemur Munatiam quamdam, Statii filiam et C. Munatium, Caiæ libertum Pamphilum sepulturæ locum in suburbano Tiburis rure habuisse (1). In altero autem epigrammate, non jam liberti, sed P. Munatius Geminus, L. Munatii Planci æqualis, ejusque fortasse frater, inter seviros Augustales ita commemoratus est :

DEO
HERCVLI · TIBVRTI · INVICTO · COMITI
ET CONSERVATORI · DOM · AVG
VI · VIR · AVG
M · AVRELIVS · VERVS
L · RVPILIVS · SECVNDVS
C · TERENTIVS · VARVS
P · MVNATIVS · GEMINVS
T · MODERATVS · FELIX
C · IVLIVS · HERMES
P · P · (2)

Alius denique C. Munatii ædilis mentio fit in titulo prope Tiburtinam Vestæ ædem haud ita pridem effosso :

M · SCAVDIVS · C · F ·

(1) MVNATIA · ST · F ·
C · MVNATIVS .
Ɔ · L · PAMPHIL ·
IN · GR · P · XIIX ·
D. De Sanctis. *Dissertazione sopra la villa di Orazio*, p. 59.

(2) Grüter, p. 1013.

AEDILES · AERE · MVLTATICO
C · MVNATIVS · T · F · (1)

Tiburtinam igitur fuisse gentem Munatiam pro certo habemus; eamdem vero prædium in hoc suburbano possedisse jure suspicamur. Etenim cum in carmine ad L. Munatium Plancum composito sese Tibur ceteris urbibus amœnissimis anteponere profitetur Horatius, non patriam tantum, sed et villam amici arboribus obtectam laudat poeta, in qua Plancus fulgentium signis castrorum oblitus frigus captabat opacum, Horatiumque amicum hospitio excipiebat. Nempe in hoc versus fragmento :

Tiburis umbra *tui*,

verbum *Tiburis* pro verbis : *tiburtinæ tuæ villæ* subjectum est (2). Quo autem in situ hæc villa exstiterit, præfinire arduum est. Illius quidem vestigia se reperisse Nibby putavit in ea regione quæ nunc *Vitriana* dicitur, scilicet in campestri loco (3). Quas autem rationes attulit, et quam ob rem ita judicavit vir doctissimus? Scilicet, quia marmorea basis hac ornata inscriptione ibidem effossa est :

L · MVNATIVS · PLANCVS
TIB · COS · IMP

(1) Stanislas Viola, *Ragionamento accademico sulla patria di L. Munazio Planco* (Roma, 1845), p. 17.
(2) Vide Orelli, *Horatii opera*. Carm., I, VII, 21.
(3) *Contorni di Roma*, I, 434.

ITER · VII VR · EPVLON
TRIVPH · EX · RAETIS
EX · TEMPLO · SATVRNI
ET · COS · IMP · ESERCITI
IN · ITALIA · ET · GALLIA (1)

Quid vero? Ulla ne cujusdam Munatiorum villæ mentio in hoc titulo habita est? Planci quidem res gestæ, sicut in simillimo Caietæ titulo, memorantur, eumdemque virum Tibure oriundum fuisse iterum constat; sed tantum est. Immo vero, etiamsi hac inscriptione de Munatiorum villa ejusque situ plane admoneremur, nulla tamen fides eidem adhibenda foret, quam subditiciam esse et a P. Ligorio male descriptam satis liquet. Quis enim Augusti temporibus tam prave scribere potuisset? mirum sane est *extruxit templo* pro *templum*, atque *eserciti* et *triuph* legere, nec minus inusitata sunt verba *cos.* et *imp.* bis repetita. Quin etiam, in titulis nunquam patria designatur, nisi cum vir, de quo agitur, in exteris et longinquis terris occiderit. Jure igitur scripsit Borghesi qui de hoc titulo ne dignatus est quidem disputare : « *e una goffa contraffazione del celebre titolo sepolcrale di Munazio Planco a Gaeta* (2). »

Num vero ex hoc subditicio epigrammate conficitur ut nullam in Tiburti villam habuerint Munatii? Minime quidem, præsertim cum de hac nos jam certiores fecerit Horatius. Adde quod in antiquo

(1) S. Viola, *opus citat.*, p. 18.
(2) S. Viola, *opus citat.*, p. 21.

poetæ illius operum codice, quem in bibliotheca Vaticana conservatum reperies, adnotatiuncula scripto ad Plancum carmini addita legitur, in qua clancularius quidam Tiburtinæ Munatiorum villæ silvas, palatium et piscinas celebrat (1). Sagacissimi denique rerum Tiburtinarum investigatores, A. del Re, Marzi, F. Cabral, et alii complures Munatiorum prædia prope Lolliorum villam exstitisse collique acclinia Occidentem spectavisse crediderunt, atque hanc veterem famam a superioribus acceptam nobis tradiderunt. In hoc scilicet loco informium ruderum pleno ingens nunc patet olivetum *Pisoniano oliveto* proximum, cujus gratia *densa* Tiburtinæ Munatiorum villæ *umbra* hodiernos ambulatores adhuc *tenere* videtur, sicut Plancum ipsum consularem olim *tenebat*.

(1) Vide S. Cabral et F. del Re, *Delle ville et de' piu notabili monumenti di Tivoli*, p. 134.

CAPUT XII.

DE VILLA PLAUTIORUM.

Anio, ut cuique compertum est, e Simbruinis collibus inter Hernicos ortus, Sublaqueoque oppido adfusus, juxta viam Valeriam superiores Tiburtini ruris agros medius alluit; ad ipsam deinde urbem delatus sese in convallem profundam dejicit; ac postea placido iterum irriguoque cursu campestria, Romam versus, allabitur. Cujus ripæ quam amœnæ in hoc suburbano et umbrosæ et felices sint, unusquisque, vel locorum ignarus, ex ipsis veterum poetarum laudibus potest conjicere; sed ii optime omnium exquisitas regionis illius delicias sentiunt, quibus licuit vere novo, clementi die, serena luce, foliis jam virentibus florescentibusque pomariis præter fluvii, quem omnium *delicatissimum* appellavit Plinius (1), ripas ire atque redire. Hos scilicet sub duro ac tristi cælo deinde vivere coactos, et venustissimi illius ruris memores ingens subit invidia felicitatis eorum quibus in Tiburti contigit ætatem agere. Sed omnium

(1) *Epist.*, VIII, XVII.

Tiburtium ii fortunatissimi ac vere ruris amatores evasisse videntur qui collibus aut ipsi oppido campestria loca ad exstruendas villas anteposuerunt, quique prædia juxta Anienem habuerunt, sive ultra Tibur, circa viam Valeriam, Sublaqueum usque, sive infra Tibur, juxta viam Tiburtinam, Romamque versus.

Inter quos non omittendi sunt Plautii qui Tiburtini erant et Aniensi tribu, ut e plurimis lapidibus inscriptis constat (1), utque nos omnes Tiburtinarum antiquitatum Tiburtini scriptores docent (2). Quippe qui glorientur suam numerare gentem tot magnis viris nobilitatam per tot sæcula, scilicet ab anno ante C. N. CCCLV, in quo C. Plautius, Tiburtibus devictis, consul cum C. Fabio fuit, usque ad Vespasiani tempora, quibus Ti. Plautius Silvanus Ælianus, optime de re publica meritus, a senatu triumphalia ornamenta, ipso principe auctore, accepit (3). At, ne ab argu-

(1) Muratori, *Nov. Thesaur.*, t. I, p. 76 :

GENIO · CENT · SACRVM ·
AED · A · PLAVTIVS · A . F · AN · AMANDVS XIX
M · PLAVTIVS · M . F · AN · LATINVS XL
M · PLAVTIVS · P · F · AN · LATINVS XXV
AED · CN · PLAVTIVS · M · F · AN · LARTIANVS XXXXV
II · VIR · L · PLAVTIVS . M . F · AN · HASTA XXLI
TR · SEX · PLAVTIVS · SEX · F · AN · AMPL ·
Q · PLAVTIVS · SEX · F · AN · ACER XLVIII ·

(2) D. de Sanctis, *Sepolcro de' Plauzi*, p. 2, Viola, *Storia di Tivoli*, t. I, p. 140. Cum his scriptoribus consentiunt Nicomedi, Antonio del Re, Marzi et Volpi.

(3) .... SENATVS · IN · PRAEFECTVRA · TRIVMPHALIBVS
ORNAMENTIS · HONORAVIT · AVCTORE · IMP
CAESARE · AVGVSTO · VESPASIANO · VERBIS · EX

mento degrediamur, Augusti ætate Plautius quidam fuit qui inter Romanos civili militarique gloria, et inter Tiburtes villæ magnificentia, ac, post mortem, sepulcri magnitudine enituit. Ille videlicet Plautius Silvanus consul anno U. C. DCCLII fuit, et septemvir epulonum; missus deinde cum Tiberio in Illyricum, gravissimum omnium externorum bellorum post Punica feliciter gessit sub idem ferme tempus quo in Germania cum tribus legionibus peribat Varus; totaque regione, quæ inter Italiam regnumque Noricum et Thraciam et Macedoniam interque Danubium flumen et sinum maris Hadriatici patebat, perdomita, triumphalibus ornamentis honoratus est (1). Quas res egregie gestas dignitatesque amplissimas Lartia uxor et A. Plautius filius hac inscriptione defuncto dedicata commemoraverunt :

M · PLAVTIVS · M · F · A · N
SILVANVS
COS · VII · VIR · EPVLON ·
HVIC · SENATVS TRIVMPHALIA
ORNAMENTA · DECREVIT
OB RES · IN · ILYRICO
BENE · GESTAS ·
LARTIA · CN · F · VXOR

ORATIONE · EIVS · Q · I · S · S ·
MOESIAE · ITA · PRAEFVIT · VT · NON · DEBVERIT · IN
ME · DIFFERRI · HONOR · TRIVMPHALIVM · EIVS
ORNAMENTORVM.... etc.

D. de Sanctis, *loc. cit.*, Tav. II.

(1) Sueton., *Tiberius*, c. XVI.

A · PLAVTIVS · M · F
VRGVLANIVS
VIXIT · ANN · IX · (1)

Hic titulus in Tiburtino Plautiorum sepulcro legitur. Prope enim viam Tiburtinam, juxta pontem *Lucanum*, tertioque ab urbe milliario, sepulcrum ingens ac rotundis Cæciliæ Metellæ Augustique et Hadriani molibus forma et magnitudine simillimum conspicitur, secto et quadrato Tiburtino lapide compositum, columnisque insigne ac marmoreis tabulis convestitum, quæ præclare a Plautiis gesta viatoribus cognoscenda exhibent (2).

Ipsa autem illius gentis villa et prædia prope extendebantur, in ea planitie quæ a meridie nova via Tiburtina, a parte orientali Tiburis collibus et ab occidentali Aniene circumscribitur. Atque easdem etiam possessiones ultra fluvium patuisse verisimile est. Quas ideo jungebat pons qui in nova via Tiburtina adhuc conspicitur, quique Anieni a M. Plautio Lucano impositus *Lucanus* denominatus est (3).

(1) D. de Sanctis, *loc. cit. Tavole in cui si contengono gli elogi de Plauzi;* tav. I.

(2) Principio quinque tabulæ erant; tres nunc tantummodo supersunt.

(3) Grüter, p. 195.

M · PLAVTIVS
M . F · ANIEN
LVCANVS
TI · CLAVDIVS
TI · F · PAL
NERO · AED · CVR
PR · CEN · $\overline{\text{II}}$ VIR · V ·
. . . . M · XIV

Hanc vero villam non a Plautio Silvano, Augusto æquali, ejusque uxore, ut sepulcrum, exstructam fuisse, sed vetustiorem et ab avis traditam suspicamur. Quam jam possedisse videtur C. Plautius, qui censor cum Appio Claudio, anno ante C. N. cccx, fuit, cuique ob inquisitas Aquæ Appiæ venas Venocis nomen datum est. — Eam autem conjecturam ex fabella lepidissime ab Ovidio (1) enarrata ducimus, in qua primas partes Plautius ille tenuit, et quæ, ut propius est fidem, in ejusdem Tiburtino acta est. Romani scilicet tibicines, cum a censoribus prohibiti fuissent in æde Jovis vesci, Tibur, ultionis causa, abierant, ita ut nemo in Urbe superesset qui sacris et funeribus præcineret. Tum C. Plautius, callidissima fraude ad eosdem Romam reducendos excogitata, Tibur libertum quemdam mittit qui exsules in patroni villam cenaturos convocet, eosque rursus vino oneratos Romam plaustris deportet. Quod quidem facillime fieri poterat, cum Plautii villa infra Tibur et prope viam ad Urbem ducentem pateret. Nec mora : ille convivium rure tiburtino parat, tibicinesque ad cenam invitatos dapibus vinoque onerat, et titubantes in plaustra conjicit :

« Alliciunt somnos tempus motusque merumque,
Potaque se Tibur turba redire putat.
Jamque per Esquilias Romanam intraverat urbem,
Et mane in medio plaustra fuere foro.
Plautius, ut possent specie numeróque senatum
Fallere, personis imperat ora tegi... etc. » (2).

(1) *Fast.*, VI, 665-692. Cf. T. Livius, IX, 30.
(2) *Ibid.*, 681-687.

Opipare videlicet Plautius convivium parari omninoque in vinum trahi curaverat tibicines, cum ii postero mane tantummodo, sedecim millibus superatis, plaustrisque in medio foro relictis, sint experrecti.

Hunc vero C. Plautium censorem facetissimique doli fabricatorem non memorant tituli grandis sepulcri frontem decorantes, primusque in ipso Tiburti invenitur M. Plautius Silvanus qui eodem tempore quo Augustus fuit, quique, rebus pace belloque egregie gestis, villam suam Tiburtinam sedem senectæ modumque viarum et militiæ habuit.

In quo prædio Augustum ipsum sæpius constitisse non improbabilis est suspicio. Nempe magua erat principi cum Plautio in Illyrico victore, et Liviæ, Augusti uxori, cum Urgulania, priore Plautii uxore, necessitudo (1). Immo quoties princeps Albulis Aquis, nervorum causa, usum Tibur veniret, in aliquo amicorum vel libertorum suburbano morari solitus (2), familiarissimi M. Plautii villam sulphureo fonti vicinam potius incoluisse videtur quam ipsum Tibur ab aquis Albulis tria millia passuum distans, positumque in arduo colle, quem ægre princeps e balneis quotidie rediens scandere potuisset. Quippe qui ab ambulationibus abhorrens pedibusque parum valens, itinera lenta et rara tantum facere soleret (3). Adde quod eidem biduo semper Tibur procedenti (4) Plautii villa

(1) Tacit., *Ann.*, IV, XXII.
(2) Sueton., *Augustus*, LXXII.
(3) Sueton., *ibid.*, LXXXII.
(4) Idem, *ibid.*.

sese in ipsa via ultro et opportunissime, quasi deverticulum, offerebat, in qua Augustus Roma veniens, ac sedecim millia jam emensus, requiescere et cubare poterat, et a qua, postera die, discedens, Tibur denique, jus dicturus Mæcenatemque invisurus, attingebat.

E villa Plautiorum nihil nunc restat. Nam pro nihilo habenda sunt rara et informia parietum vestigia passim dispersa, sculpturæque fragmenta interdum ab agricolis detecta. Cur autem ipsæ perierint ruinæ, ratio facile reddi potest. Omnes enim Tiburtinæ villæ in campestribus locis ædificatæ Anienique adjacentes pluribus casibus ac periculis quam villæ collibus appositæ quotidie objiciebantur; quippe quæ et ab hostibus prædatoribusque commodius devastari, et Aniene, nonnunquam, ut apud Plinium videmus (1), extra ripas exundante, operiri subruique periclitarentur. Quæ Plautiorum prædiis quoque accidisse credendum est. Cujus gentis solum incolume mansit sepulcrum, ut tabulis fronti impressis egregie Plautiorum facta enarrarentur, utque eorumdem villæ situs, villa ipsa deleta, posset reperiri.

(1) *Epist.*, VIII, XVII.

CAPUT XIII.

DE VILLIS COSSINIORUM, COCCEII, VENTIDII BASSI ET COPONIORUM.

In eadem illa regione campestri, ubi Plautiorum villam patuisse prædiximus, ubique sæculo insequenti Hadriani villa in tantam latitudinem diffundetur, alia erant Augusti temporibus Romanorum prædia. Non enim Trajani tantummodo principatu amœnissima illa suburbana, quæ Anieni adjacentia vidit celebravitque Plinius, ædificari cœperunt; immo vero hæc loca villis opportunissima jam prius a plurimis ruris Tiburtini amatoribus occupata fuisse pro certo habemus. Sed earum nunc villarum dominos et vestigia reperire arduum est, cum ab Augusto usque ad nostram ætatem toties et tam funditus perturbata regio, immutatæ viæ atque eversa ædificia fuerint. In quonam, exempli gratia, et cujus viri prædio continebatur immensa illa piscina antiqua quæ prope viam Tiburtinam sub Quintilii Vari villa ostenditur? Quis prorsus magnificam hanc domum possidebat, cujus substructiones in medio *Clivo Ti-*

burtino et juxta pontem dictum *dell' Acquoria* sparsæ apparent? Qui denique tot et tantorum prædiorum domini exstitere, quorum informia vestigia ubique conspiciuntur ex imis collis radicibus usque ad rivulos in quos Cardinalis Hippolyte d'Este Aquas Albulas derivavit? Nemo est nimirum (ut priscos investigatores omittam vel minimis lapidum structionibus nomen sine causa imponentes), qui omnia ad unum ruris Tiburtini secreta eruere nobisque noscenda prodere valeat.

Attamen inter tot in ea planitie sparsa monumentorum incognitorum vestigia, nonnulla discernuntur rudera quorum naturam et nomen licet designare. Ad quosnam, verbi gratia, usus accommodatæ, et quomodo denominatæ fuerint ruinæ quæ inter Plautiorum prædia Aquasque Albulas, et inter antiquam novamque viam Tiburtinam jacent, facile suspicandum est. Eæ quidem solo olim hominum manu æquatæ, quoniam receptacula erant latronibus viatores observantibus, nunc vix dignosci queunt : cæmenticiæ tantummodo parietum substructiones et rara lapidis tiburtini fragmenta passim supersunt; sed ex locorum ruderumque dispositione, ac veterum investigatorum descriptionibus constat magnam ibi villam exstitisse, quam ex titulo in eodem situ reperto Cossinios habuisse et habitavisse verisimile est. Etenim cum villæ illius fabricæ adhuc exstantes diruerentur, lapis ita inscriptus repertus est :

COSSINIAE · Ɔ · L · CAESIAE

POSSIDONIO
L · COSSINIO · Ɔ · L · DISCO
SEXTIAE · P · L · EVGENEAE
IN · FR · P · XI · IN · AG · P · XV · (1)

In hoc quidem titulo liberti tantum commemorantur; sed cum in ipsis patronorum prædiis libertos sepelire mos esset, jure opinari licet Cossinios villam eam incoluisse, in qua Cossiniorum liberti locum sepulturæ obtinuerant; tanto quidem magis, quod compertum habeamus hanc gentem Tiburtinam fuisse. Postquam L. Cossinius, quem *Tiburtem* appellat Cicero (2), civis romanus factus est, non a patria profecto in perpetuum discessit, sed Tibur eo libentius redire debuit, quo major ea ætate celebritas huic suburbano obvenire inciperet. Quæ cum ita sint, nonne in ea potissimum villa habitavit L. Cossinius, in qua Cossiniorum nominis memoria adhuc retinetur?

In extremo ejusdem planitiei, Orientem versus, sub imis radicibus collis nunc monte *Peschiavatore* denominati, alia visuntur villæ rudera quæ L. Cocceii fuisse libenter existimem. Quem virum Tiburi otium contulisse verisimile est. Etenim Mæcenati et Horatio hunc secessum sæpius incolentibus sese fa-

(1) S. Cabral et F. del Re, *Delle ville e de' piu notabili*, etc., p. 59. Cf. alios ejusdem gentis titulos a S. Viola allatos (*Storia di Tivoli*, I, 300).

(2) *Pro Balbo*, XXIII. « Quomodo igitur L. Cossinius *Tiburs*, pater hujus equitis romani, optimi atque ornatissimi viri, damnato T. Cœlio... civis romanus est factus? »

miliarissimus Cocceius comitem profecto adjunxit, sicut eosdem Brundusium euntes secutus est (1). Immo, proprium quoddam fuisse huic civi ditissimo Tiburtinum, non modo ex magnis illius gentis opibus magnaque Tiburis auctoritate probabiliter confici potest, sed etiam ex veteri nomine iis locis imposito, ubi rudera, de quibus nunc agitur, jacent. Optime enim fieri potest ut vocabulum *Cozzano* a *Cocceiano* derivatum sit, neque pro nihilo, ut nos arbitramur, ducenda est fama vetustissima quæ Cocceii prædia ibi patuisse refert. Quod si ita se res habet, Mæcenati et Horatio hospitium in sua villa Tiburtina præbuisse existimandus est L. Cocceius, sicut eosdem Hirpinorum urbem invisentes in altera sua villa Caudina plenissima recepit (2). Unde fit ut Horatius e Sabinis montibus descendens nunquam hospitali domo apud Tiburtinos egeret. Cui, ex sententia, in Munatii Planci, aut Pisonum, aut Quintilii Vari, aut denique in L. Cocceii villa licebat commorari.

Cocceii prædiis contigua ostenduntur villæ cujusdam rudera tribus areis superpositis distincta, quarum maxima ducentos circiter pedes longa est. Cum situs ille a summa memoria *Bassi* aut *Vassi* fuerit denominatus, putavere S. Cabral et F. del Re hic fundum habuisse Ventidium Bassum, qui acerrimus exstitit M. Antonii defensor, quique e mulione consul factus

(1) Horat., *Sat.*, I, V, 27-30.

(2) Horat., *Sat.*, I, V, 50 :

« Hinc nos Cocceii recipit plenissima villa,
Quæ super est Caudi cauponas. »

est, et bellum adversus Parthos egit. Quæ si ita sint, fieri potest ut M. Antonius in amici sui villa constiterit, çum Tibur usque, exercitum conflaturus, progressus est. Sed de eà re parum constat. Ventidium Bassum in Tiburti versatum fuisse hoc tantummodo titulo monemur, in quo de Herculis Saxani exsedra, pronaoque et porticibus a Ventidio Basso exstructis agitur :

C · LVCTIVS · L · F · AVLIAN · Q · PLAVSVRIVS · C · F · VARVS
L · VENTIDIVS · C · F · BASSVS · Q · OCTAVIVS
C · F · GRAECHIN
IIII VIR
PORTICVS · P · CCLX · ET · EXSEDRAM · ET · PRONAON
ET · PORTICVM · PONE · SCAENAM · LONG · P CXL
S · C · F · C · (1)

Ipsam autem L. Ventidii Bassi villam nec tituli, nec scriptores commemorant. Attamen cum illud idem cognomen aliis lapidibus in solo tiburtino effossis inscriptum sæpius reperiatur (2), non perperam exis-

(1) S. Cabral et F. del Re, *op. cit.*, p. 39.

(2) C · MAENIO · C · F · CAM ·
BASSO
AEDILI · IIII · VIRO · MAG
HERCVLANEO · ET · AVGVSTALI
PRAEFECTO · FABRVM
M · SILANI · M · F · SEXTO
CARTHAGINIS
TR · MIL · LEG · III · AVGVSTAE
QVINQVENNALI

Tivoli nel decennio dalla deviazione del fiume Aniene, p. 183. Titulus in via Valeria, anno 1825, repertus.

timavisse videntur doctissimi S. Cabral et F. del Re Ventidium Bassum illiusque posteros in hoc suburbano constitisse, prædiumque etiam possedisse.

Eadem de Coponiorum, quæ de Cossiniorum villa prædiximus, dicenda sunt. Quos Tiburtinos fuisse Cicero in supra relata *pro Balbo* oratione his verbis nos docet : « Quomodo ex eadem civitate (Tiburtina scilicet) T. Coponius, civis item summa virtute et dignitate (nepotes T. et C. Coponios nostis), damnato C. Massone, civis romanus est factus (1)? » Tres quoque tituli, in hac regione reperti, ejusdem gentis nomen — (non vero eodem semper modo scriptum), ita proferunt :

I

CAVPONIVS · L · F · GEMINVS
CAVPONIA · L · F · GEMINA ·

Muratori, III, p. 1654, nº 3. Titulus marmoreæ tabulæ inscriptus, et, in via di *S. Valerio*, domus parieti olim inclusus.

II

FELICITATI
T · CAVPONIVS · T · F · AED ·
C · AVFESTIVS · L · F ·

S. Cabral et F. del Re, *op cit.*, p. 127. — Titulus in vico *delli Guidei* effossus, et in privatæ domus tiburtinæ atrio conservatus.

III

FORTVNAE · PRAETORIAE
SACRVM

(1) *Pro Balbo*, XXIII.

L · MINVCIVS · NICEPHOR
MAG · HERCVL · AVG ·
CN · COPONIVS · EPAGATVS
CVRATORES · PRIMI · D · S · P ·
CVLTORIBVS · D · D ·

Marzi, *Stor. Tib.*, p. 27 et 157. — Titulus prope Herculis templum anno 1640 repertus, statuæ *Fortunæ* basi inscriptus.

Ii vero tituli non magnum habent momentum, cum nullam de clarissimis ejus gentis Coponiæ viris mentionem faciant. Quod quidem moleste videntur ferre Tiburtini scriptores, titulos requirentes iis similes quibus adornatur Plautiorum sepulcrum. Nullo, exempli gratia, tiburtino lapide memoria illius Coponii conservata est, qui Dyrracchii classi Rhodiæ præfuit, aut illius qui Crassi exercitum in urbem Carras deduxit, aut illius denique qui in Archelai devicti regna procurator ab Augusto missus est (1).

Nec magis villam Tiburtinam iisdem Coponiis fuisse e superstitibus titulis licet conjicere. Cujus gentis nomen sola retinere videntur loca ac rudera rara vageque disjecta, quæ, nunc *Copone* aut *Corone* denominata, viatori Tibure *porta Romana* exeunti ad primum lapidem, prope viam *dell' Aquaregna* dictam, in dextra obversantur.

(1) Plutarch., *Crassus*, XXVII; Joseph., *Hæbr.*, II, 27.

CONCLUSIO.

Apud antiquos, poetis carmen incipientibus mos erat deos invocare, eosque obtestari ut facilis cursus viam jamjam ingressuris daretur. Ego contra, confecto itinere, libenter adducor ut poetæ gratias agam, qui me ad suscipiendi opusculi studium excitavit. Horatio enim auctore, Tiburis pernoscendi consilium cepi, Horatio duce et auspice rus Tiburtinum perlustravi. Nec alia causa hujus circa Anienis ripas exploratoriæ ambulationis fuit, quam quod ea loca oculis pernoscere gestiebam, quæ tot et tantis laudibus a poeta exornata animo sæpius mihi effinxeram.

Omnia scilicet in hoc opusculo ad Horatium pertinent. Nempe dum Tibur et regiones Tiburi circumectas percursabam, de Horatio cogitabam, qui domum Albuneæ resonantis, et præcipitem Anienem, et Tiburni lucum, et uda mobilibus pomaria rivis tam studiose cecinit; dum villarum Tiburtinarum rudera collustrabam, ejusdem memor eram, qui in iis domibus, olim integris et candentibus, sæpe hospes consedit; dum prorsus qui fuerint harum villarum domini inquirebam, eosque excitabam, semper animo

occurrebat idem ille Venusinus, vel potius Tiburtinus poeta, qui cum plerisque illorum virorum vixit familiarissime, quibusque et laudes tribuit, et epistulas misit, et carmina dedicavit. Mihi denique et libebat credere sola Horatii opera gratiaque tantam Tiburi, Augusto principe, celebritatem contigisse. Quæ cum ita sint, nonne totum Tibur Horatianum quodammodo jure dici potest?

Quid mirum igitur si omnibus advenis rus Tiburtinum peragrantibus, Horatii memoria ultro animis semper obversetur; si maximus nostras Lamartine « *circa nemus uvidique Tiburis ripas,* » ut quondam poeta Romanus, nuper errabundus, ac carmina « *apis matinæ more modoque* » et ipse fingens, sponte Horatium Anienemque, quorum nomina in perpetuum videntur consociata, his versibus una invocaverit?

> « O Fleuve, ...
> Toi dont le nom chanté par un humble affranchi
> Vient braver, grâce à lui, le temps qu'il a franchi !
> Toi qui vis sur tes bords les oppresseurs du monde
> Errer, et demander du sommeil à ton onde;
> Tibulle soupirer les délices du cœur,
> Scipion dédaigner les faisceaux du licteur,
> César fuir son triomphe au fond de tes retraites,
> Mécène y mendier de la gloire aux poètes,
> Brutus rêver le crime et Caton la vertu :
> Dans tes cent mille voix, Fleuve, que me dis-tu?
> M'apportes-tu des sons de la lyre d'Horace?...

Ita enim se res habet : quia Aniene irrigatur et ab Horatio celebratum fuit, idcirco, nostra adhuc ætate, omnibus, vel locorum ignaris, in amore atque in deliciis est Tibur. Anienis laudes dixit Horatius; Horatii

nomen resonat Anio. Amnem laude dignum poeta, poetam laude dignum amnis vetat mori. Jure igitur Lamartine eodem carmine amnem delicatissimum delicatissimumque poetam cecinit.

Janvier 1883.

Vidi ac perlegi :

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, a. d. XV kal. mart. ann. MDCCCLXXXIII, Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi decanus,

A. HIMLY.

Typis mandetur :

Academiæ Parisiensis Rector,

GRÉARD.

INDEX CAPITUM

M.Albert. De Villis Tiburtinis



Ernest Thorin Editor

Erhard sc. Parisiis.

ERNEST THORIN, ÉDITEUR.

EXTRAIT DU CATALOGUE DES OUVRAGES DE FONDS :

CHATELAIN (Em.), ancien membre de l'Ecole française de Rome, lauréat de l'Institut, etc. — *Notice sur les manuscrits des poésies de saint Paulin de Nole*, suivie d'observations sur le texte. 1880. Gr. in-8. 4 »

COURAUD (Am.), doyen de la Faculté de droit de Bordeaux. — *De l'épigraphie juridique*. 1878. Brochure gr. in-8. 2 »

CUQ (Edouard). — *Etudes d'épigraphie juridique*. De quelques inscriptions relatives à l'administration de Dioclétien. — I. *L'examinator per Italiam*. — II. *Le Magister sacrarum cognitionum*. 1881. Gr. in-8. 5 »

DENIS (J.), professeur de littérature ancienne à la Faculté des lettres de Caen. — *Histoire des théories et des idées morales dans l'antiquité*. Deuxième édition. 1879. 2 vol. in-8. 10 »

Ouvrage couronné par l'Institut de France (Académie des sciences morales et politiques).

DESCEMET (Th.). — *Inscriptions doliaires latines*. Marques de briques relatives à une partie de la *gens Domitia*, recueillies et classées. 1880. 1 vol. gr. in-8, avec un très grand nombre de figures. 12 50

FERNIQUE (Emm.), docteur ès lettres, ancien élève de l'Ecole normale supérieure, de l'Ecole française de Rome, etc. — *Etude sur Préneste*, ville du Latium. 1 vol. gr. in-8, avec une grande carte et trois planches en héliogravure. 7 50

HUMBERT (Jean), correspondant de l'Institut de France, membre des académies de Nancy, Besançon, Marseille, Turin, etc. — *Mythologie grecque et romaine*, ou introduction facile et méthodique à la lecture des poètes. Nouvelle édition, revue et corrigée avec soin. 1 vol. in-8. 5 »

LOISEAU (Arthur), docteur ès lettres, agrégé de l'Université, professeur au lycée de Vanves. — *Etude historique et philologique sur Jean Pillot* et sur les doctrines grammaticales du XVIe siècle. In-8. 3 »

— *Histoire de la langue française*, ses origines et son développement jusqu'à la fin du XVIe siècle. 2e édit. revue et corrigée. 1882. Un beau vol. gr. in-18 jésus. 4 50

Ouvrage couronné par la Société des études historiques (1re médaille d'or, concours de 1880).

SIDOINE APOLLINAIRE. — *Ses Œuvres* (texte latin), publiées pour la première fois dans l'ordre chronologique, d'après les manuscrits de la bibliothèque nationale, accompagnées de notes des divers commentateurs, précédées d'une introduction contenant une étude sur Sidoine Apollinaire; avec des dissertations sur sa langue, la chronologie de ses œuvres, les éditions et les manuscrits, par M. Eugène Baret, inspecteur général de l'instruction publique. 1879. 1 beau vol. gr. in-8, sur papier vélin. 16 »

SUMNER MAINE (Sir Henry), correspondant de l'Institut de France, professeur à l'Université de Cambridge, membre de la Société royale de Londres, etc. — *Etudes sur l'histoire des institutions primitives*. Traduit de l'anglais, avec une préface, par M. Jos. Durieu de Leyritz, avocat; et précédé d'une introduction par M. H. d'Arbois de Jubainville, professeur au Collège de France. 1880. 1 beau vol. in-8. 10 »

THOMAS (Antoine), ancien membre de l'Ecole française d'Athènes, maître de conférences à la Faculté des lettres de Toulouse. — *Nouvelles recherches sur l'entrée de Spagne*, chanson de geste franco-italienne. 1882. Gr. in-8. 2 »

THOMAS (Emile), professeur à la Faculté des lettres de Douai. — *Scoliastes de Virgile. Essai sur Servius et son commentaire sur Virgile*, d'après les manuscrits de Paris et les publications les plus récentes ; avec la liste et la description des manuscrits de Paris, l'indication des principaux manuscrits étrangers; la liste et l'appréciation des principales éditions et un tableau général des Scolies sur Virgile. 1880. 1 vol. in-8. 8 »